









1671, 41  
23

Summo Juris Maritalis Autore annuente,

AUTORITATE ET SUFFRAGIO

*Per-Illustris Jctorum Ordinis inflorentissima ac nominatissima ad Salam Academia,*

PATROCINANTE

**DN. JOHANNES STRAUCHIO,**

Jcto & Antecessore Salano Consumma-

tissimo, Serenissimorum Saxoniae Ducum, nec non Celcis-

simi Principis DN. FERDINANDI ALBERTI, DUCIS BRUNSVICENSIS ET

LÜNEBURGENSIS &c. Consiliario eminentissimo, Codicis, Novellarum, itemque

Jurispublici & Feudalis P. P. Excellentissimo, Facultatis Juridicae Seniore Splendi-

dissimo, ejusque ut & Supremi Ducum Saxoniae Judici, nec non Scabinatus

Jenensis Assessore gravissimo, ac p.t. inclutissimi Collegii Juridici

DECANO Spectatissimo,

DN. DOCTORE, PATRONO ac PRÆCEPTORE suo summè suspiciendo

DISSERTATIONEM HANC JURIDICAM

DE

**JURE MARITO-**

**RUM IN UXORES RESQUE**

**UXORIAS,**

Ad diem August. A. c15 Isc. LXXI.

*publicae Eruditorum censurae & disquisitioni submittis*

IN AUDITORIO JUSTITIAE SACRO

**JOHANNES MENGE,**

Sufato - Westphalus

AUTOR.

JENÆ, TYPIS VVERTHERIANIS.











## PRÆLUDIUM.



**V**erissimum sanè est illud,

vulgò quod dici solet: *Rei præstantissima tererimus solet esse abusus.* Quod, veluti in omni vitæ nostræ Scena; ita quoque in Statu matrimoniali usu venire, singuli nos erudiunt diès. Licet enim *Juris maritalis* in vita connubiali maxima deprehendatur dignitas, utilitas pariter ac necessitas, in tantum, ut *Summus monarcha Deus ter opt. terq; max.* idipsum non modo in principio Geneseos ipse instituerit, sed simul quoque approbaverit: reperitur tamen proh dolor! in hoc scelerrato & exulcerato seculo ejuscemodi maritorum genus, quod hâc sibi concessâ, potestate, cum *in persona Uxoris*, tum *in rebus ac bonis* frequentissimè abutitur, adeò, ut tenerrimæ *mulieres* supra *maritorum* suorum audaciam sæpissimè cogantur conqueri, suisq; lamentationibus toto fermè die tribunalia replere. Cum verò malitiis maritorum nullatenus indulgendum sit, *l. 38. ff. de rei vind.* ac Reipublicæ intersit, ne quis re suâ malè utatur *§. fin. Inst. de his qui sui vel alien. Jur.* & ut mulierum dotes maneant integræ ac salvæ, ut facilius iterum virum inveniant, *l. 2. ff. de Jur. dor.* imò etiam, ne delicta permaneant impunita, *l. 13. ff. de offic. presid. l. 51. §. fin. ff. ad L. aquil. l. 4. §. 2. ff. de nox. act. l. 18. §. 1. ff. de Judic.* Quapropter non sine ratione, prudentissimi quique legislatores, potestatem hancce *maritalem* in Republica sua, certis limitibus ac terminis circumscripserunt, ac in quantum *Jus mari-*

A

ii in



ti in caput ac bona uxoris sese extendat, constituerunt. Quæ materia, cum hæctenus parum sit discussa, & tamen non exiguam sibi in quotidiana civili vita ac tritura fori vindicet utilitatem; proinde juxta optimum consilium Icti Pauli in l. 25. pr. ff. de liber. legat. Ulpiani in l. 1. pr. ff. de suspect. tut. & cur. & sacratissimi nostri Imperatoris Justiniani in §. 3. proem. Inst. hæc mihi digna visa fuit, ut loco speciminis publici, in ea ingenioli vires periclitarer, & præcipua ac palmaria ex variis Juris partibus selecta, publicæ disquisitioni committerem. Ne autem absque certa methodo, per vastum, ut dicitur, agrum, in ea versari videar, illam sequentibus sectionibus includere visum fuit; ita, ut primò loco, questionem præjudicalem de Juris maritalis existentia præmittam. Secundò, de ejus definitione, cum nominali, tum reali, agam. Tertio, Jura maritorum ratione personæ uxoris competentia, ostendam. Quarto, Jus maritalis circa res uxorias tam Allodiales, quam feudales, proponam. Quintò, Jus ac potestatem in criminalibus, subjungam. & denique sextò, Jura, quibus mariti gaudent in Judicio, addam. Quoniam verò quicquid agimus in nomine Domini incipere debemus, monente ipso Apostolo ad Coloss. 3. vers. 12. juncta C. 16. c. 26. q. 7. ad hoc enim omne principium, medium & terminus respicere debet, novell. 109. in præf. quo universa benè & competenter geruntur, novell. 6. in pr. quo etiam duce ad omnia consilia omnesque actus nostros feliciter semper progredimur, l. 2. in pr. C. de off. præf. præf. affr. iccirco, ut & præsens nostrum propositum ac inceptum amabile ipsi sit, dict. novell. 6. in pr. tremendum ejus nomen supplici veneramur voce, velit suâ gratiâ ac Spiritu nobis assistere & mentem, & manum ita dirigere, ut omnia ad SS. sui nominis gloriam, vergant,

SECTIO



## SECTIO PRIMA

Præmittit quæstionem præjudicialem, *an*  
*detur Jus maritale?*

§. 1.

**A**ntequam de *Jure maritali* ulteriorem instituamus disquisitionem, meritò in antecessum de quæstione illa, *an sit?* sive *an detur Jus maritale?* nos oportet esse sollicitos, cum frustra neus foret omnis labor de ipsa materia susceptus, nisi prius certiores simus de *Juris maritalis existentia*, non entis enim *nulla sunt qualitates, nulla affectiones* juxta vulgare philosophorum axioma. An autem detur *jus mariti in uxorem*, non parum præjudicii hic nobis facere videtur, perversa nonnullorum Gentium consuetudo, quippe quæ uxori potestatem in maritum tribuit, *Nycii enim Sauromatae & teste Herodoto l. 2. Egyptii sapissimè uxoribus subjeçti fuerunt.* De populis *Cariæ Idem l. 1. refert, quod mulieres eorum jurejurando sese obstrinxerint, ne posthac cum maritis cibum capere aut eos propriis nominibus appellare velent.* Apud *Seras* populos *Scythiæ Asiaticæ, viri nominatenus fuerunt, muliebria enim munia tractarunt curando culinas, pensa trahendo liberosque educando: mulieres contra virilibus occupata fuerunt officiis, referente Epiphanio lib. 3. heres. c. 6.* Scitè etiam *Cato de Romanis* sui temporis: *Nos omnibus inquit imperamus hominibus, nobis verò uxores.* Imò hodiernum quoque inter nostrates reperiuntur *uxores* benè nummatae & majorum gentium filiae, sibi imperium in maritos arrogantes.

§. 2. Verum utut ejuscemodi populi, tam uxorii fuerint, & muliebria imperia, vel ex perversa consuetudine gentis *uxoribus* suis concesserint, vel ex insolentia *uxores* illa sibi attribuerint, hæc tamen *Jus nostrum maritale* infringere planè nequeunt, cum non spectandū sit, quid factum, sed quid fieri debeat, *l. 12. ff. de offic. præsid.* & juxta incomparabilis nostri ævi Philosophi ac politici *Dn. Herman. Conringii* sententiam in *Disp. de Jure §. 37. illud justum est quod à viris prudentioribus potissimum approbatur, illud naturæ, quod ubivis eodem modo sese habet &c. licet quedam Gentium*

ad 2

minus









§. 4. Ex lege quoque & ordine natura maritali Imperium  
ob sexus præstantiam & ad imperandum aptitudinem marito  
competit: natura enim lex est, deterioribus semper imperare me-  
liores, ipse natura interpret Aristoteles multis argumentis rem-  
conficit §. Eth. c. 10. & 11. & lib. 1. Polit. c. 5. & 8. <sup>in illisq; an dilsq;</sup>  
§. 5. Et si seriem meliorum Gentium perlustramus, idem  
reperimus: Nam apud veteres Græcos mulieres in perpetua tutela  
Curatorum erant, qui ipsis ex lege dabantur, sine quorum arbitrio  
nihil eis agere licebat, uti videre licet ex Demosthene in orat. ad-  
versus Noeram. Unde apud Titium Livium lib. 34. ita legitur:  
Majores nostri nullam, ne privatam quidem rem, agere feminas  
sine auctoritate voluerunt, in manu esse parentum, fratrum, viro-  
rum. Plato itidem l. 2. de LL. ait: mulierem maritatum cujuscunq;  
ætatis esset, non debuisse restari, nec judicio interesse, ad agendum  
sine auctoritate mariti. Et hoc quidem Jus à Græcis seu Atheniensibus  
ad Romanos translatum fuisse tradit Tiraquel. in princip. tract.  
de LL. connub. gloss. 1. n. 73. & gloss. 8. n. 1. Apud Veteres enim Ro-  
manos mulieres indiscriminatim omnes, propter inconstantiam  
ac infirmitatem Sexus, in perpetua cura suorum maritorum fuis-  
se, testis est Cicero in orat. pro L. Flacco & pro L. Murena, & in ejus  
Topicis Boëthius lib. 2. Ulpianus in fragment. Inst. tit. 1. §. 12. & tit. 11.  
§. 7. & §. 24. quæ Ulpiani fragmenta etiam ad decidendas lites va-  
lere, quatuor rationibus solidissimè, ut cætera omnia solet, con-  
firmavit Ictus nemini hodie secundus (quo encomio eum maectat  
Vir in omni scibili versatissimus Dn. Herman. Conringius in tr. de  
orig. jur. c. 29.) Dn. D. Johannes Strauchius, Præses nostræ Disputa-  
tionis gravissimus, in prælect. publ. C. ad constit. de novo C. fac. n. 3.  
confer Cujac. l. 7. observ. c. 11. & ad Ulpian. tit. 1. Wesenb. in π. de  
curat. fur. & al. n. 4. & ad §. ult. Inst. de excus. tut. & novissimè Dn.  
Thome in eleganti tr. de confess. part. 1. c. 1. §. 8. Similiter Legibus  
XII. tabularum muliebris in usu fuit tutela. Calvin. in lex. Jurid.  
verb. tutela muliebris. Rittersbus. in novo comment. in XII. tab. le-  
ges d. 3. p. 1. c. 13. Jure item Longobardorum femina erant in per-  
petua tutela, aded, ut sine Mundualdi auctoritate nihil alienare  
potuerunt. Mevius l. 1. tit. 7. art. 4. n. 2. 3. 4. 5. licet autem ejusmo-  
di tutela post à Claudio Imperatore inhibita fuerit (quod & omnes



subsequentes Imperatores approbarunt, *Contius l. 2. subst. c. 13.* )  
adeò, ut etiam *Jure Justiniano, nulla mulierum tutela perpetua,*  
*nulla quoque cessitia sit, Rittersb. d. c. 13.* Attamen videmus, *ius illud*  
*vetus in omnibus fermè gentium provinciis ac Juribus municipi-*  
*palibus postliminio quasi receptum & approbatum esse.* Ho-  
diè enim mulieres ferè sunt in perpetua tutela & cura, *nupta*  
*quidem maritorum, qui vocantur Ehe. Vögte & curatores conju-*  
*gales; virgines verò vel viduæ propinquorum vel à Magistratu*  
*datorum Giphart. ad l. 3. C. de legit. tut. De Gallis hoc asserit Ti-*  
*raq. in tr. de LL. connub. gloss. 1. n. 3. & 4. à quibus hanc con-*  
*suetudinem videntur mutuo sumpsisse Franci, Tiraquel. d. l. n. 3.*  
*& 6. De Italis eadem refert Guido Pancirollus lib. 1. thes. var. lect.*  
*c. 92. De Hispanis Roder. Soarez. de debit. n. 1. Quoad Angelo-*  
*rum mores, Idem recenset Smith. lib. ult. de Repub. Angl. c. 8. Fri-*  
*siorum Consuetudinem exhibet Joh. à Sande. Decis. Fris. l. 2. t. 4. d.*  
*1. in pr. Quid apud Belgas obtineat, repræsentat Græneuv. ad*  
*§. 19. Inst. de excus. tut. & novissime Dn. Fuchs. in tabel. jur. p. 19.*  
*Jure Saxonico quid receptum sit, inculcat Landrecht l. 1. art. 31. l.*  
*3. art. 45. ibi: Der Mann ist seines Weibes Vormund in Hand als*  
*sie ihme getrauet ist/ Hieron. Treutler. Select. Disp. vol. 2. Disp. 6.*  
*th. 7. lit. I. Matth. Colerus Decis. 12. n. 4. & Dec. 41. n. 8. item Decis.*  
*222. Magnificus ac nobilissimus Dn. Christophorus Philippus Richt-*  
*erus, fctus famâ ac nomine magnus, Dn. Patronus ac Doctor meus*  
*æstimatissimus, in Volum. Decis. p. 2. Dec. 76. n. 38. & hanc Juris Saxo-*  
*nici consuetudinem per totam fermè Germaniam irreplisse, testis*  
*est Rauchbar. l. 2. quest. Jur. Civ. & Sax. quest. 18. n. 24. Dn. Jo-*  
*han. Richard. Malcomesius in annot. ad Comm. nov. Wesenb. de*  
*his qui sui vel al. Jur. ita ut etiam consuetudo in Marchia Bran-*  
*denburgensi, sequi videatur exemplum Juris Saxonici de quo vi-*  
*deri potest Schepliz. ad Consuet. Marchio-Brandeb. part. 3. §. 23. n. 6.*  
*Jure Würtembergico idem provisum reperitur Fürst. Würt. Land-*  
*recht. part. 1. tit. 18. §. Wir wollen/ ibi: als ihr Kriegsvogt. Quod*  
*etiam viget in Ducatibus Juliacensium ac montium, ordinat. Julia-*  
*cent. c. 94. §. fin. quam allegat additionator ad Decis. aureas Joh.*  
*à Sande l. 1. t. 2. d. 3. & l. 3. t. 4. d. 1. Imò nostris moribus non tan-*  
*rum Jure provinciali, sed & consuetudinario passim ubique loco-*  
*rum*



rum mariti sunt tutores legitimi Chevögte! Dn. D. Johan. Brunne-  
man. Jctorum in Academia Viadrina princeps Sereniss. & poten-  
tiss. Electoris Brandenburgici & c. Domini mei Clementissimi Con-  
siliarius, Comm. in C. ad l. 2. C. qui dare tut. vel Curat. poss. Sic  
Nomothesia Lubecana omnes mulieres sine discrimine curatoribus  
maritalibus subicit Dn. Mevius ad Ius Lubecens. l. 1. tit. 7. art.  
4. n. 7. & l. 1. tit. 20. art. 3. n. 8. Idem Statuto Hamburgensi cau-  
tum reperitur p. 1. tit. 9. n. 5. quod citat laudat. Mevius l. 1. tit. 7.  
art. 4. n. 8. cum quibus & nostrum Susatense optimè con-  
spirat.

§. 6. Nec Jus nostram civile potestatem hancce Maritalem  
ignorat: Interpretes enim quando de potestate Dominorum & pa-  
rentum agunt, hanc addere solent, quam complectuntur sub tex-  
tibus de reverentia muliebri conceptis. Vid. l. 14. in fin. ff. solut.  
matr. l. 48. in fin. ff. de operis libert. l. 1. §. 7. C. de Rei ux. act. no-  
vell. 117. c. 14. Petr. Gudelinus de Jure Noviss. l. 1. c. 7. in pr. Magnif.  
Dn. D. Struvius, Sereniss. Saxonia Ducum lin. Vin. Camera Dire-  
ctor & Consil. Aulicus splendidissimus, in Synt. Jur. Civ. Ex. 3. th. 7.  
& 28. & ex. 29. th. 56. Magnif. ac Juris Consultiss. Dn. Schröte-  
rus Jctus ac Professor in hac LL. nutrice celebratissimus, Patronus  
ac Praceptor meus solertiâ strenuus, & ob id ad rogam usq; Co-  
lendus, in Pral. publ. ad Comm. Wes. de his qui sui vel al. Iur.  
num. 3.

§. 7. Imò Jure Canonico, quod aliàs æquitatem præ se  
ferre solet, hæc potestas maritis concessa reperitur conf. c. quod  
Deo. 4. c. manifestum 11. c. est ordo 12. c. Satis 14. c. cum 15. c. mulie-  
rem 17. c. 33. 95. c. 1. x. de frig. & malefic. c. quacunque 2. dist. 30.  
atq; ob id femina dum maritatur caput suum velare solent, ut  
noverint semper maritis suis se esse subditas & humiles c. femi-  
na. 7. c. nec illud. 8. c. 30. 95. c. 19. c. 33. 9. 5. add. Andr. Vallengis  
paratit. Jur. Can. lib. 4. tit. 1. §. 5. n. 1.

§. 8. Et si experientiam efficacem omnium rerum magi-  
stram, uti nominatur in c. quam sit 6. de elect. & elect. in 6. in  
Testimonium vocare velimus, nullus dubito, quin nostris quo-  
que temporibus uxores virtuosæ, ex contractu voluntario, quo  
se suaque maritis suis submiserunt, maritos suos, tanquam su-  
perio-



periores agnoscant, & potestatem domesticam, in rebus Domesticis sponte suâ illis deferant, ut hoc pacto legibus Divinis ac humanis ex asse satisfaciant & *maritorum* suorum auctoritatem in familia salvam conservent.

SECTIO SECUNDA,  
Proponit *definitionem* cum *Nominalem*  
cum *realem*.

S. I.

Visâ jam quæstione *An sit* & obstaculis remotis, ordine ducimur ad explicandum *quid sit?* quanquam autem Justitiæ sacerdotibus (*uti appellantur in l. i. §. 1. pr. ff. de Just. & Jur.*) solenne potius sit, viscera rerum scrutari, quam folia verborum accurare & apices literarum, quæ inutilis criticorum superstitionis est, scrupulosè metiri, quoniam tamen boni ordinis causa, omnem tractationem à nominibus inchoandam esse, egregiè, ut solet aliàs, moneat subtilis Scaliger ex. 359. sect. 1. reiç, propositæ utm illustrare ejus Etymologiam, doceat Reinkingius de Regim. Sec. & eccl. l. i. class. 1. pr. Quibus monitis ut sua constet dignitas confidentiùs originationem ex recepta methodo præmittimus. Ut verò *Ius mariti in uxorem* membratim enodemus, vix operæ præmium æstimamus, Nam *Ius* sive à *jussu* sive à *jubendo* (*uti Calvinus in Lex. jur. in voce Jus arbitrat*) sive à *justitia*, secundum *Ulpianum in d. l. i. pr. ff. de I. & I.* descendat, perinde hic nobis erit, cui volupe est, hanc geminam derivationem ulterius explicantem videat *Dn. Ioach. Schnobelium in Disp. 1. ad lib. 1. pandect. th. 1. & 2.* Interim *Mariti & uxoris Etymon* paulò abstrusioris est indaginis; alii *maritum* à monte *Thessaliæ Maria* deducunt, quod ibidem *Deucalion*, uti in fabulis est, ex *conjectis post tergum lapidibus mares generaverit*; alii à *Mari* derivant, quod primum *mariti*, tanquam ænea pectora mare naviculis transire tentaverint, unde utrique *maritum* pro homine magnanimo & forti (*quod etiam sit salvâ purioris literaturæ auctoritate*) in familiari veterum sermone positum fuisse ominantur; sed allusiones ejusmodi, licet speciosæ, nos non remoran-

tur,



tur, rotundè potius & disertè fatemur, *maritum* suos natales debere *mari*: In veteri enim scriptorum memoria *marem* & *maritum*, frequentissimè videmus opponi *viro*, eò, quod *illi* in matrimonio, *Hic* verò in quocunque statu & conditione vivere dicatur. A *marito* descendimus ad ejus Correlatum *uxorem* scil., cujus nonnulli tam inconstantem *Etymologiam* esse asserunt, ac ejus in vita mens esse solet, juxta illud tralatitium: *Varium & mutabile semper fœmina*, *Weiber haben lange Kleider und kurze Sinn*. Verum ne nos scrupulositatis arguamur, *uxorem* dictam putamus juxta *Calvin. lex. Jur. in hac voce*, quasi *unxorem* ab *ungendo* quod *antequam limen mariti transfiret*, postea *averuncandorum malorum causa*, *adipe* (quod *Plinius l. 28. c. 9. notat*) olim *ungerent*. Cui sententiæ validè favet, quod *conjux* (à *conjungendo* sicuti *uxor* ab *ungendo* dicta) apud antiquos in lapidibus itidem *Conjux* aut *Conjuxs*, uti observat *B. Dilherrus in Orthogr. Lipsi p. 162.* extiterit, sed ad vitandam consonantium pluralitatem, (quæ *Cacophoniam* mater est,) factum, ut *uxor* & *conjux* simpliciter postmodum usurpentur. Hæc verò dum notamus, statim proferimus eorum allusoriam originationem, quibus *uxor* conflata videtur ex *V.* (*numero quinario*) & *X.* (*cruce*) & *R.* (*litera canina & rixosa*,) indignamur certè istiusmodi hominum *Scommata*, quibus *lubido* est *uxorem*, *delicium* istud vitæ nostræ, adeò traducere, ut vel *ex Terentio* exclament: *Duxi uxorem quam ibi miseriam vidi!* Vel *ducere uxorem*, interpretentur *Unglückshefen ansehen!* sicuti *veteres Germanos* ita locutos asserit *Henr. Salmuth. in responso Juris pro matrim. princ. p. 126.* Nec minus improbamus illam derivationem, quâ quis *uxorum osor* dicit per resolutionem duplicis *X.* in simplices *C. S. UCSOR* quasi per anagramma *Orcus*.

Quisquis in uxorem cecidit, descendit in orcum,  
 Causam ne quæras, *ucfor* & *orcus* idem,  
 cui per *Prosopopæiam uxoris* eadem resolutione *ucfor* quasi *curso* tale opponimus:

Nuncupor *ucfor* ego, non sim quasi conjugis *Orcus*  
 Sed! quia per totam sedula *Curso* Domum.

§. 2. Sed missis hisce migramus ad *Homonymiam*, ubi  
 B pri-





primum occurrit, quod *maritus* substantivè acceptâ voce dicatur (1) *pro socio & viro simpliciter dicto*, non implicatâ habitudine ad thorum Conjugalem. (2) *pro arboribus vitiferis*: nam ut *Plinius* loquitur l. 14. c. 1. in *Campano agro nubunt vites maritasque complexæ cacumine æquant*. Unde *maritare arborem* dicunt Hortulani, einen Baum pflropffen. vid. *Faber. in thesaur. in verb. maritus*. (3) *pro masculo animantium*, sicuti enim in *Ethicis* bruta dicuntur simiarum instar æmulari hominum virtutes; ita quoq; in *Politicis* umbram & simulacrum conjugii ipsis denegare non possumus. Facem hic nobis præfert *Plutarchus* in lib. de amore *prolis*, ubi varia conjugii axiomata brutis assignat. Agnoscit & *Propertius* inter bruta conjugium dum 2. 15. canit:

Exemplo innatæ tibi sint in amore columbæ,

Masculus & totum fœmina Conjugium.  
(4) *pro sponso*, ut in l. 5. C. de bonis quælibet. & in l. 4. ff. de fund. dotal. (5) *maritus* sumitur propriè, pro illo, qui à contractis nuptiis talis dicitur, & hæc acceptio est hujus loci. Uxor è contrario sumitur (1) *Pro sponsa* l. 6. & 8. ff. de grad. & affin. (2) *Pro contubernali* l. 12. §. 33. ff. de instruct. & instrument. legat. sicuti enim in *Academiis* Contubernales sibi invicem mutuam exhibent Consortium; ita & mulier semper consortio viri adherere debet. (3) *Pro sexu fœminino animantium*, sic capræ dicuntur olentis uxores mariti, *Horat. lib. 1. carm. od. 17.* (4) *Pro genitrice muliere seu matre familias*, quæ significatio est hujus fori.

§. 3. Quod autem ad *Synonymiam* spectat, *Jus mariti in uxorem* vocatur in genere *Dominium*, l. 195. §. 2. ff. de verb. signif. *Jus Personarum Conjugale*, B. Dn. Hahn. *J. Crus Helmstadiensis* desideratissimus, in *Dissert. de Jur. rev. c. 1. concl. 2. & in observ. ad Comm. Wesenb. ff. de Judic. & ubi & c. n. 4. & ad tit. de ritu nupt. n. 7. Potestas maritalis*, Magnif. Dn. *Struve* Ex 3. tb. 7. & 28. & Ex. 29. tb. 56. quæ tamen potestas semper cum *Justitia* debet esse conjuncta, ne in violentiam degeneret: Nam sicuti ex summi viri *Hugonis Grotii de Jure Bell. ac Pac. l. 1. c. 4. §. 15. n. 1. judicio*, aliud est *Jus Imperii*, aliud *invasio Imperii*; ita quoque *Jus maritalis* potest contradistingui potestati, quam quis vi, seu violentâ invasione sibi acquisivit, v. g. dum *Romani olim adolescente ipsorum*  
poten-



potentiâ, Sabinorum virgines 683. (ex calculo Dionisi in antiq.)  
 raptas sub potestatem suam coercuerunt. Licet non diffiteamur  
 quod istiusmodi inuafores postea, vel tacito populi subacti con-  
 sensu, vel pacto *Ius maritale* in prædictas sibi acquirere possint. In  
 specie verò *Synonyma mariti & uxoris*, si cum *veteribus Oscis*, aut  
 cum *Evandri matre* loqui velimus, dixerimus *Cajum & Cajam*:  
 Cum enim *Caja Cœcilia* celeberrima matrona, in lana facienda  
 & domo curanda, parem haberet neminem, factum est, ut Roma-  
 ni novas nuptas togâ induerent, & ad fidelem œconomix curam  
 his verbis boni ominis causa excitarent: *tu Caja, ille Cajus*, uti  
 hoc *Pancirolo* cum *notis Henr. Salamuth. l. 1. tit. 59.* uberius ex-  
 plicat. Verum istâ loquendi solennitate jam antiquatâ, memores  
 sumus illius, quod *celeberrimus Vossius in Aristarch. de anal. l. 1. c. 5.*  
 affert; *nostrum loquendi modum, illa Doctorum consuetudine sub-*  
*nixum esse debere, cui bona pars vulgi consentiat, nam uti, inquit,*  
*in navi obtemperamus gubernatori, in verbis cedimus vulgo.* Un-  
 de & nos *marito* associamus vocem *conjugis, consortis, Viri & Do-*  
*mini; uxori verò maritam, nuptam, mulierem, fœminam & Do-*  
*minam.* (quæ cuncta vocabula in progressu, indiscriminatim à no-  
 bis usurpari, hic promittimus.) Quando autem *Suetonius in Ti-*  
*ber. c. 11. uxorem* vocat *filiam*, fit hoc ideò, quia *uxor maritum* sa-  
 lutabat *patrem*, uti ex *Plaut. Asin. act. 2. scen. 2.* constat, & his  
 verbis honorificè sibi invicem ablandiebantur; sicuti & nostro  
 tempore *Conjuges* tali verborum dulcedine, mutuum amorem  
 inflammant, dicentes: *Mein Herr* &c. uti alicujus conditionis  
 homines ab *uxoribus suis*, non in *Patria solum, sed & alibi, salu-*  
*tantur.*

§. 4. Hisce prælibatis ad *definitionem realem* oppidò ac-  
 cedimus, quam subscribente nobis communi Politicorum scho-  
 lâ ita constituimus: **Jus maritale est potestas in ca-  
 put & bona uxoris.**

§. 5. Hæc data definitio, juxta communia logicorum  
 præcepta, constat duplici suo conceptu, *Generico* videlicet & *speci-*  
*fico*: loco *Generis* in hac definitione ponitur *Potestas* non quidem  
*absoluta*, qualis olim apud Romanos *Dominorum in servos* §. 1.



*Inst. de his qui sui vel. al. v. Dn. D. Iohan. Otto Tabor* *ICtus accuratissimus in partit. Element. p. 1. §. 17.* nec non parentum in liberos fuit *l. ii. ff. de lib. & post. l. ult. C. de patr. potest.* & hodiè absolute Imperantium v. gr. *Regis Gallia* est in caput sui subditi; nec minus in potestate vitæ ac necis consistens, uti falsò putavit Novellus ille Politicus Johan. Frider. Hornius in *Polit. part. Architect. lib. 1. c. 1. §. 5.* qui propterea etiam censuram publicam Ampliff. Dn. Goezii non potuit effugere in *polit. posit. c. 2. §. 34.* Sed *limitata*, consistens in hoc, quod *marito*, vi ordinis in Societate matrimoniali recepti, competat facultas, media in finem Societatis nuptialis directâ, suadendi potius quam rigorosè jubendi. Philosophus in *pr. polit.* hoc ipsum exprimit ita: *marito* competere *Ius in uxorem*, verum istud, quo civiliter eidem imperet, eam in communionem suffragii admittat, ejus dissensum rationibus probabilibus superstructum non planè insuper habeat, imperii sui rationes reddat, & si quæ sunt alia ab ipso sanè in rem adducta. Hinc etiam Sacræ literæ jubent virum uxori cohabitare secundum scientiam, *1. Petr. 3. vers. 1. & 1. Corinth. 7. vers. 3.*

§. 6. *Genere* satis pertractatò, ad *differentiam Specificam* nunc quoque Curriculum nostrum erit dirigendum, quæ his circumscribitur verbis: **in Caput & bona uxoris**, per quæ intelligitur *Objectum Juris maritalis*. Per **Caput** hic indigitari personam mulieris certum est, quoniam illud Synecdochicè & moraliter pro totâ muliere sumitur, ita, ut etiam denotet ejus actiones liberas, non quidem omnes, nec quocunque modo spectatas; sed quæ per se diriguntur in finem societatis nuptialis, & eatenus, quatenus in finem hunc diriguntur, ut cum dicitur: **Objectum Juris maritalis esse caput uxoris**, significatur maritum, vi societatis nuptialis, actus uxoris liberos, qui ob procreandam sobolem & promovendum mutuum adjutorium suscipiuntur, posse præscribere, prohibere, irritare, limitare rectæ rationi convenienter; **Quid? quando? quomodo? &c.** uxori agendum sit. Porro per prædicta verba innuitur *potestas uxorem*, si refractaria fuerit, coercendi: quæ tamen **coercitio**



citio magis in amore, quam in rigore; magis in humanitate, quam in atrocitate, consistere debet: ratio satis clara apparet ex eo, quia nimirum tota hæc societas conjugalitatis ex amore, cum ratione originis, tum ratione finis sui dependet. Uti hoc eleganter exposuit supra laud. Dn. Goeze, in observat. publ. Grot. de princip. Jur. Nat. c. 10. §. 2. ad verb. magis suadendo, adde ejus Polit. Posit. hæcenus absolutam c. 2. §. 32. in fin. Confer. si lubet sect. subseq. 3.

§. 7. Ulterius cum in definitione nostra **Bona uxoris** dicimus esse **objectum Juris maritalis**, tunc per **Bona** intelligimus omne id, quod objectum liberalitatis & magnificentiae Aristot. in pr. l. 4. Eth. facit, ut ad eò *vi Juris maritalis maritus* omnes fundos, omnia bona, quæ uxor in domum *mariti* intulit, item quæ sub manu & directione *mariti* acquisivit, imò omnia mobilia uxoris suæ administrare, inque finem Societatis ejus dirigere valet. Sub hoc Jure etiam continetur potestas capiendi usumfructum ex dote in Domum illata, nec non potestas per *uxorem* naturæ convenienter acquirendi, eaque omnia quæ per manum uxoris familiæ accrescunt, *marito* asserendi. Sed quoniam de his omnibus plenè agendi locus erit in sect. 4. hic typo quasi adumbrasse sufficiant, quantum nempe sufficit ad naturam *definitionis* ejusque *objectum* melius intelligendum.

§. 8. Enodatâ *Definitione Juris maritalis*, recto ordine ad *divisionem* ejusdem accingimur, ubi observandum, quod *Jura maritalia* quæ ex ordine Societatis nuptialis nascuntur, competuntque *marito*, sint alia *activa*, *passiva* alia. *Activa* sunt, quibus *maritus* exigere ab *uxore* potest ea omnia, quæ ad *sobolis procreationem*, *mutuumq;* faciunt *adjutorium*. *Passiva* sunt debita *uxori* *præstandi* ea omnia sine quibus *soboles procreari*, sive *mutuum adjutorium* promoveri *nequit*, quod aliàs à moralistis *debitum maritalis* seu *Conjugale* dici solet, de quo latiusculè videantur *Paulus Zachias* in *quest. medico-legal.* & *Theologi* in *explicatione præcepti sexti.* ad hæc Dn. Goeze in *Polit. posit. c. 2. §. 35.* refert (1) *fidem* *Conjugalem* (2) *alimenta* & (3) *protectionem*, quæ ulterius hic excutere nostri non est instituti.



§. 9. Antequam verò ad alia migremus, causas prius hujus Juris examinabimus: dignitas enim effectus dependet ex dignitate causæ *Mart. Benekend. ad l. 2. ff. de R. I.* Est autem *Causa efficiens* hujus *Juris maritalis* lex cum *Divina*, tum *humana: lex Divina positiva* exstat statim *in principio Geneseos*, ubi de institutione Societatis Conjugalis agitur, & marito per expressum mandatum potestas in maritam conceditur, quando communis generis humani parens Deus voluntatem *marite* subjecit voluntati *mariti*, edixitque, ut *maritus* sit *Dominus marite*, verba in hanc rem clara ibi leguntur. Et hæc Concessio legis Divinæ repetitur *ab Apostolo Petro 1. Epist. c. 3. vers. 7. & Paulo 1. Corinth. 11. vers. 3. vid. Guilhelm. Grotius in Enchirid. Jur. Nat. c. 10. §. 3.* *Causa efficiens* legis positivæ humanæ est *voluntas legislatoris*, & quidem illius penes quem est τὸ κύριον in unaquaque Republica, talis est in Statu Monarchico princeps, in Aristocratico optimates, in Democratico populus *Dn. Johan. Frid. Bökelman ICtus in Academia Heidelbergensi famigeratissimus exerc. ad Pand. 3. th. 30. juncta Diss. 4. th. 19.* Dependet enim hoc Jus ab Imperio magistratus in civitate summi.

§. 10. *Causa impulsiva* hujus Juris in genere est *equitas*, mulierum enim genus imbecille est, *l. 2. §. 2. ff. ad SCtum Vellejan. l. 23. pr. C. de nupt. fragile l. 20. C. de donat. ante nupt. l. 3. in med. C. de prescrip. 30. vel 40. ann. l. 12. pr. C. qui pot. in pign. pr. Inst. quib. alien. licet, Infirmum l. 9. ff. de Jur. & fact. ignor. l. 9. ff. de curat. furios. l. 18. ff. de Jur. fisc. l. 1. §. 10. in med. ad SCtum Turpil. l. 1. C. quando mulier off. tut. l. 5. C. ad L. Iul. Majest. multis captio- nibus suppositum C. Adam 18. c. 33. q. 5. & Deceptionibus obnoxium *Novel. 61. c. 1. §. 2. Novell. 97. c. 3. in fin.* Unde & mulier propter imbecillitatem & fragilitatem sexus à mollitie nomen habet, *vid. Can. quod proposuisti 18. C. 22. q. 7.* ad hoc alludit *Johan. Owen. Epigram. lib. 1. epigr. 70.**

*Dicta fuit mulier quasi mollior: est tamen Eva*

*Non de carne sui sumpta, sed osse, viri.*

Quam ob rationem mores nostri, uxorem in potestate mariti esse voluerunt, quo ipse imbecillitati & fragilitati earum succurrere, suæque prudentia illis subvenire posset. *In specie vero*

*summa*



*Summa necessitas, defendi enim inquit Imperator uxores à vi-  
ris, non viros ab uxoribus æquum est §. 2. Inst. de injur. l. 2.  
ff. eod.*

### SECTIO TERTIA

#### Jura maritorum ratione Personæ Uxoris competentia repræsentat.

§. 1.

**P**Ræmissâ jam *questione præjudiciali ac pertractatâ definitione,*  
tam *nominali quam reali, absolutâque Divisione,* consequens  
est, ut ex lege methodi, ad *ipsam rei tractationem* propiùs acce-  
damus. Ut autem pervagaturi per nonnullos Juris nostri arti-  
culos (*sicuti appellantur in l. ult. §. 1. C. ad SCtum Macedon. in l.*  
*un. §. 1. C. de rei ux. act. l. fin. §. fin. C. de Jur. delib.*) atque in illis  
*Jura maritorum* monstraturi, omnia decenti serie exponamus.  
Jus nostrum dividimus cum *Magnif. Dn. D. Struvio in Syni. Jur.*  
*Civ. Ex. 1. tb. 45. in Jus cognoscendum & persequendum: Jus co-*  
*gnoscendum,* concernit aut *Personas,* quatenus hæ in certa condi-  
tione constitutz, aut *Res & quælibet civium bona l. 1. ff. de statu*  
*hom.* Priori loco *Jus maritis concessum circa Personam mulieris,*  
in conditione civili subsistentem considerabimus, imitaturi *pro-*  
*cederemur Sacratissimi nostri Imperatoris Justiniani in §. ult. Inst. de*  
*Jur. Nat. Gent. & Civ. & naturalem methodum omnis Politicæ,*  
& consequenter etiam *Juridicæ tractationis;* siquidem parum  
est Jus nosse, si *Personæ,* quarum causa constitutum est, ignoren-  
tur *dict. §. ult.* Posteriori loco ad *res,* quæ se latissimè per Jus no-  
strum diffundunt transitum faciemus.

§. 2. Contemplaturi itaque *Jus Personarum,* illud non u-  
nius generis, sed statum earum triplicem, secundum *ICcum,*  
*Paulum in l. ult. ff. de cap. min.* esse dicimus, consistens in condi-  
tione aliqua civili seu politica, secundum quam cuique Jus  
redditur *B. Dn. Habn. ad Wesenb. de statu homin. n. 1.* Ille autem  
conditio vel est *absoluta,* libertatis, vel *relata,* familiæ, *Dn. Struve*  
*Ex. 3. tb. 7 junct. tb. 25.* ratione illius, licet omnes homines tam-  
mas quam *fœmina naturâ liberi sint. v. pr. Inst. de liberpin. Ma-*  
*gnificus Dn. Praeses, in Dissert. theoretico-pract. ad Univers. Jus Jus-*  
*tin.*



*stin. Diss. 1. th. 16. & quoque specie convenient. Dn. Cellarius in Polit. lib. 1. cap. 2. §. 27. in pr. nihilominus tamen in multis aliis partibus Iuris maritalis præ eminentia conspicitur, idque tam ratione corporis, quam animi, imò morum & totius vitæ rationis.*

§. 3. De corporis viribus res est manifesta, nec eget ullâ probatione, cum in oculos & sensus incurrat foeminea imbecillitas, unicus ille Autor œconomicorum, quæ vulgò *Aristoteli*, tribuuntur, sit nobis instar omnium. *Etenim natura ait: unum sexum fecit robustiorem, imbecillio rem alterum, ut hic ad custodiendas res propter timorem, ille propter fortitudinem ad propugnandum magis esset idoneus, item ut hic foris parta afferret, ille tutus conservaret. Arist. lib. œconom. c. 3. Calculum suum adjicit D. Petrus Epist. 1. c. 3. vers. 7. vasculum imbecille mulierem appellans.*

§. 4. De animi dotibus itidem nemo dubitat, quoniam pari ratione, inter vulgus nota est mulieris infirmitas Judicii & imbecillis consultandi facultas, adeò, ut propterea ab omnibus civilibus ac publicis officiis repellatur *l. 2. pr. ff. de R. I. ibid. Bronchorst. & Gruntzelius. Magnif. ac Consultiss. Dn. Iohan. Volk. Bechman. ICtus, Antecessor ac in alma hæc Salana Pandect. Prof. Pub. longè celeberrimus, Doctor Patronus ac Præceptor meus solidissimus & nunquam non satis honorandus, in Comm. Theoretico-Pract. ad ffca vol. 1. part. 1. Ex. 4. n. 31.* Tametsi autem una vel altera foemina supra sexum suum prudens (qualis perhibetur *Abigail Nabalis uxor*, quæ longè prudentior suo marito erat *1. Samuel. 25. & Elisabetha Anglia Regina*, quæ, ut de ea ex Historicis refert *Lansius in orat. pro Gallia p. 193.* summâ felicitate quadraginta quatuor annos regnavit, prudens supra sexum, tribus maximorum Regum Legatis, uni latinè, alteri Gallicè, tertio Italicè, uno eodemque die respondit, Græcæ & Hispanicæ linguæ non omninò ignara: Sic quoque *Christina Suecia Regina* supremi Imperii capax fuit) nonnulla signa peculiaris vel prudentiæ vel regiminis, ediderit; sunt tamen illa rara ac planè singularia, quarum vix singula secula singulas tulerunt, de quibus nullæ leges feruntur, quoniam spectandum non est quid rarò, sed quid



quid communiter & ut plurimum fiat. l. 3. & 4. ff. de LL. Præno-  
biliff. atq; excellentiff. Dn. Johan. Christoph. Falcknerus Jctus &  
Inst. Imper. hujus loci Prof. Publ. famigeratiffimus Doctor ac Pre-  
ceptor meus obsequiosè devenerandus in prælect. pub. ad Dissert.  
1. Sutbold. apb. 16.

§. 5. Considerandæ ergò sunt fœminæ, uti ut plurimum  
sunt, de quibus concors orbis sententia est, maritos quoad dotes  
animi uxoribus esse præstantiores, & ideò etiam maritum sese  
habere adinstar Imperantis docet *Aristot. l. 1. Pol. c. 8. in pr.* qua-  
le Imperium vir magis naturâ habet quàm fœmina, imò vir eti-  
am fœminæ, tanquam principio passivo activum imperat, uti  
*eruditè, decus illud Lipsiense clariffimus Dn. Thomasius in tabell.*  
*suis contin. tabell. 34. n. 15. scribit.* Quod Imperium Summus Je-  
hova naturæ & hominum author, marito in fœminam aliam ob  
causam non concessit, quàm propter rationis, & prudentiæ ex-  
cellentiam. Quod etiam vult fabula de Minerva, quam Poetæ  
fingunt absque matre natam, eò, quod in fœminis prudentia non  
sit, cujus Dea tamen Minerva est, *Martianus in hymno palladis*  
sic canit:

*Hanc de patre ferunt, sine matris fœdere natam  
Provida consilia, quod nescit curia matrum.*

Quo etiam tendit *Euripides:*

*Mulieres sumus ad bona consilia inertissime  
Malorum autem omnium artifices sapientissima.*

§. 6. Quare uxor quæ sapit, viro suo inservit, quæ non  
sapit, eum spernit, quæ prudens est, incompetens sibi Imperium  
ad Dominum remittit, & suæ naturæ convenientia opera captat;  
cum nihil funestius excogitari possit Imperiosâ muliere, quæ si  
voti compos fiat & clavum marito extorqueat, in indubitam  
eum ponit infamiam: si pari pervicaciâ obsistat maritus, & se  
virum præstare obstinet, perit pax Domestica & dum certatur  
de Imperio, aut *Divisum Imperium cum Junone Jupiter habet,*  
salus familiæ negligitur, inimicitia incurabiles oriuntur, nec in  
publicum quicquam meditari aut operari potest, cui Domi cum  
uxore de principatu Imperii luctandum est, & quid superest otii,  
turbis domesticis insumendum. *Multos foris claros, ait Plin.*



in Panag. domestica destruxit infamia, & ne maximi cives haberentur hoc effecit, quod mariti minores essent. Nec enim cum liberum censet Cicero, cui mulier imperat, cui leges præscribit, jubet, vetat, quod videtur, cui nihil Imperanti negare potest, nihil recusare audet. Si poscit, dandum est: si vocat veniendum est: si ejicit abeundum: si minatur extimescendum. *vid. de his longe Differentem Arnise. in rel. pol. c. 7. sect. 1. n. 16. & seqq.*

§. 7. Hoc ne fiat, marito Imperium uxorium (quando scilicet ad nutum & arbitrium mulieris omnia facit) omnibus modis est detestandum ac cane pejus & angue fugiendum; e contra vero *maritale* quod Dei jussu, naturæ sententiâ, hominumque Consensu ipsi adjudicatum est, pro aris ac focus defendendum, in tantum, licet tempore sponsaliorum juratò sponsæ promiserit imperandi potestatem, non tamen maritus est obstrictus ad hanc promissionem adimplendam; cum nulla Juri Divino, Naturali & Gentium saltim moratorum repugnans sit obligatoria, etiam si vel decies juramento sit vallata. Cæterum quo conformius adtemperet prædictis Juribus illud Imperium necessarium erit, ut uxori πολιτικῶς seu civiliter imperet, monente ipso Philosopho 1. Polit. c. 5. & 8. & 8. Eth. c. 11. hoc est, ut supra etiam sect. 7. explicuimus, uxori in quibusdam imperium concedat, eam in communionem suffragii admittat, &c. Nam viri & uxoris Imperium simile videtur Aristocratico. Pro dignitate siquidem imperat vir, ac circa ea, circa quæ virum decet, quæ autem uxori conveniunt, ea illi tribuit. Nam si in omnibus imperare velit, in Oligarchiam delabitur: præter dignitatem enim id facit & non quatenus melior, dicit Idem 8. Eth. c. 12. Quemadmodum enim in Imperio Romano - Germanico Imperator non absolute imperat, sed Electores & reliqui status coimperant; sic etiam in regimine domestico maritus non absolute imperium habet, sed uxor subordinate coimperat, ita, ut etiam à marito in communionem suffragii admittatur.

§. 8. Non tamen propterea iniquum est, ut uxor in honestis rebus viro suo obtemperet, est enim maritus mulieris caput c. 5. c. 32. q. 6. nempe in rebus conjugii & in rebus familiæ, ceu explicat Guilhelm. Grocius in Enchirid. de princ. Jur. Nat. c. 10. §. 2. ejusq.



*ejusq; frater Hugo in absolutissimo tr. de Jur. Bell. & Pac. lib. 2. c. 5.*

*§. 8. Quo hoc pacto res familiaris augeatur & conservetur,*

*Modestè viro obviam eat, dicendo Domine adsum.*

*Imperi quidvis, neque tibi ero in mora, neque latebrosè me  
abs tuo*

*Conspectu occultabo.*

*Plaut. in trinum.*

Quod si maritus uxoris imperio pareret, natura ipsa inverteretur, & abjectissimi ingenii virum notaret, imò juxta Politicos viri nomine dignus haud est, *Plurimum Reverendus ac Clarissimus Dn. M. Nicolaus Mollerus, olim Gymnasii Patrii Rector celeberrimus, nunc verò Pastor Petrinus Primarius dignissimus, Patronus ac studiorum meorum antehac Promotor exoptatissimus in Coll. Pol. mss. part. Special. cap. 1. §. 24.* Quod etiam optimè scivit *Laconica mulier*, quippe, quæ, cum ab hospite quodam his verbis: *Sola viris imperatis uxores Spartana?* lacefferetur, illa muliebri imperium non tantum non negavit, sed sat imperiosè, *Sola enim parimus viros* respondit. *Plutarch. in vita Lycurgi.* Optandum profectò esset, ut nostro tempore, dominandi cupidine inescatæ mulieres, hujus vestigiis insisterent, & reverentiam ac obsequium imperio maritali exhiberent, ne suos maritos in maximum probrum apud honestos ultrò conjiciant, seque ipsas infament, si enim suâ imperiosâ arrogantia, viri honori aliquid detrahant, illumque in foro fabulam efficiant, eo ipso suæ quoque famæ derogant, siquidem uxores tantum honoris habent, quantum viri, & omne earum decus à viro dependet, *Arnise. in Polit. lib. 1. c. 3.*

*§. 9.* Hæc operosè satis dum afferuntur, potestatem marito connaturalem esse uberius constat. Interim verò hoc *Imperium maritalè*, an eo usque extendi possit, ut maritus ex Jure sibi concessio uxorem verberibus quoque excipere possit, in quaestionem venit? Quam certis circumstantiis adhibitis, & limitibus castigationis à marito non excessis, affirmamus: Maritus siquidem est Dominus uxoris, prout nominatur ab Imperat. in *l. 8. C. de inoff. donat. confer. l. 88. §. 2. ff. de legat. 2. l. 57. ff. de donat. inter vir. & ux.* Est caput uxoris *c. 5. c. 32. q. 6.* ipsique uxor honorem & reverentiam debet, *l. un. §. 7. C. de Rei ux. act. l. 14. in*



*ff. solut. matr.* Est subjecta marito, censeturque penè famu-  
la eius *c. mulierem 19. c. satis 14. c. 33. q. 5. add. Everhard. tr. de test.*  
*& attest. c. 2. n. 22. in fin.* Proinde moderatam uxorum immori-  
gerarum castigationem & emendationem citra injuriam Mari-  
to permittendam esse volunt *Dd. juxta l. 24. §. 5. ff. sol. matr.*  
*arg. l. 5. in fin. cum l. seq. ff. ad L. Aquil. ibiq; gloss. Decian. in tr.*  
*crim. l. 9. c. 11. n. 14. Gothof. ad novel. 117. c. 14. lit. C.* qui & plures  
alios textus adducit *Tiraq. d. tr. gloss. 1. n. 22.* ubi ingentem nume-  
rum *Dd.* in testimonium citat, qui tamen *gloss. 8. n. 10.* ab hac sen-  
tentia videtur recedere. *Hilliger in Donell. enucl. l. 13. c. 21. lit. n.*  
*Dn. Hahn. ad Wesf. de ritu nupt. n. 6.* Quemadmodum enim flu-  
vius continetur intra alveum: ita debet coerceri voluntas uxo-  
ris dicit *Ecclesiasticus c. 25. vers. 34.* modo tamen castigatio illa  
non fiat sine causa *Arnise. in rel. Pol. c. 7. sect. 4. n. 9.* & hanc po-  
testatem maritis non esse invidendam, quâ injuriam ab uxoribus  
ipsis illatam verberibus etiam repellere valeant, ne vecordiæ su-  
spicionem incurrant, jureque maritali se indignos reddant, *in-*  
*quit B. Dn. Carpz. Jurisprud. Consist. l. 2. tit. 12. d. 212.* maritus e-  
nim regimen habet domesticum, quod ita gerere debet, ne mari-  
ti nomen exuat, maritelli verò induat, & non semper ut *Michael.*  
*Haveman* loquitur, maritus omnia sua verba sesamo, papavere  
& violis vestire, sed obloquentem uxorem increpare, imò in-  
crepidare, ei fas est. *lib. 3. tit. 8. & lib. 4. tit. 4. obs. 6.* Hinc etiam  
jubet *Cato in orat. pro L. oppian.* fræna per castigationem injicere  
impotenti animali (*mulieri scil.*) ne si par esse cœperit, continuo  
superior esse velit. Hæc enim est mulierum indoles, ut officium  
suum sponte suâ, sine frenis maritalibus & aliquali castigatione,  
vix exhibeant, si aliter cum uxore vivi non possit, si petulantia  
verbis reprimi nequeat, tunc secundum *Hippocritis præceptum*  
extremo malo, extremis occurrendum remediis, & malo nodo,  
malus quærendus cuneus. Sanè maritus, qui refractariam u-  
xorem in ordinem severè cogit, quâ verbis quâ verberibus non  
incurrit in Crimen Sacrilegii, ceu asserit *Arnise. in releb. Polit.*  
*c. 7. sect. 4. n. 5.* nec realis castigatio virum infamat *idem d. l. n.*  
*10.* huc spectat vulgaris ille versiculus:

Nux,



*Nux, asinus, mulier, simili sunt lege ligari, addunt oīlo*  
*Hac tria nil rectè faciunt, si verbera cessent.*

Quomodo verò hoc de mulieribus intelligendum sit, id latè exponit *B. Gerlingius Pastor Susatensium, dum viveret fidelissimus in Adagiis Latino-Germ. sub lit. N. in fin.* Ne hanc nostram sententiam enervat, quod mulier cum marito sit una caro, quam nemo unquam odio habuit *ad Eph. c. 5. vers. 28. 29.* Quod in propriam carnem nemini liceat vim, vel manus mortiferas inferre *l. 13. ff. ad L. Aquil.* Quod sua membra nemini liceat confingere, ne seipsum confodiat. *Aristot. 5. Eth. c. ult.* Distinguedum enim est inter carnem integram & corruptam, & inter membra sana & putrida *Arnis. sepius cit. l. n. 15.* & dicitur maritus & uxor una Caro non *physicè, sed moraliter.*

§. 10. Veruntamen prædictam castigationem intellectam volumus de *modica & tolerabili*, non verò de *violenta & tyrannica*, uti insigniter Jus castigationis limitatur à *Juris & Politicis sanioribus.* Unde ne maritus in suo Imperio se nimis asperum ostendat, nec in uxorem durior, quàm par est, sit, rarò, & non nisi summâ postulante necessitate, ad verbera descendat, suadent *Dd. communiter, Petr. Gregor. Tholos. l. 1. c. 6. Tiraq. d. l. n. 24. Dn. Mevius ad Jus Lubecens. p. 2. tit. 2. art. 12. n. 439. & n. 440. & lib. 4. tit. 8. a. 7. n. 1. Schönborn. in polit. lib. 1. c. 6. Magnif. Dn. Struve in eleganti tr. de vind. priv. c. 8. a. 1. n. 13.* Extrema secundum *Senecam in Agam. act. 2. primo loco non sunt tentanda.* Quapropter quoque ipse *Pontifex in c. 1. x. de his quæ vi metusq; causa fiunt,* illum *maritum tyrannum* vocat, qui *uxorem* severius tractaret, uxor enim & maritus censentur esse una persona, *Schönborn. d. l. Uxor est socia divinæ & humanæ domus mariti l. 4. C. de crimin. expilat. hered. Est pars corporis mariti c. admonere 8. c. 33. q. 2. Est pars mariti Math. 19. vers. 5. Maritus & uxor reputantur una caro c. porro 3. c. 35. q. 5. Unum corpus Magnif. Dn. D. Christ. Philip. Richter, Jus unde quaq; celebratissimus in Volum. Decis. part. 1. Dec. 11. num. 5. in fin.* Imò sunt duo in carne una, *Gen. c. 2. vers. 24.* Quis autem tam negligens, tam abjectus tamque imprudens foret, qui seipsum crudeliter verberaret. *laudatus Dn. Mollerus cit. loc. & qui propriam suam carnem*



odio habeat, *Paulus ad Eph. 5. vers. 28. 29.* Quare juxta monitum *Thrasonis* apud *Terent. Enoch. act. 4. scen. 7* sapientem virum omnia prius verbis tentare quam pugnis experiri decet, & serio id sibi imperatum esse putabunt mariti: & pudore & liberalitate mulieres retinere satius esse credent, quam metu, cum vile sit uxorem absque causa sufficienti verberare *Decian. d. l. n. 14.* inde dicitur: Einem bösen Weibe kan niemand steuren/ item ein Mann hat es kleine Ehre/ wenn er ein Weib schlägt/ ja ist sie böse/ so hilfft es nicht/ ist sie aber fromm/ so thut man ihr unrecht. *B. Gerlingius in enodatione Adag. all. L.*

§. II. Hinc quoque mariti uxores suas flagellis vel fustibus extra causas (*in novell. 117. c. 8. enumeratas*) ob quas repudium concessum, castigantes, ipsis ex propria sua substantia, etiam constante matrimonio, quanta tertia pars antenuptialis facit largitatis dare obstricti sunt, *novel. 117. c. 14. & auth. sed novo Jure C. de Repud.* Imò hodiè mariti, qui limites castigationis excedunt arbitrariâ plectuntur poenâ. *B. Carpz. in prax. crim. p. 1. q. 12. n. 51.* qui excessus pro arbitrio Judicis, uti *Bataviae* quibusdam in locis observari testatur *Henr. Brouwer de Jur. Connub. l. 2. c. 29. n. 11. in fin.* vel carcere, relegatione, vel interdum etiam fustigatione, puniri docet *Carpz. d. l.* Ubi & concurrentibus circumstantiis divortium quoad thorum & mensam mulierem petere posse, cum *Joach. à Beust. de Sponsal. & matr. p. 2. c. 9. statuit idem dict. q. 12.* & de hac re tria adfert præjudicia, quorum ultimum hic apprimè faciens referre placet: So wird H.R. solcher Begünstigung wegen/ woferne er derselben geständig oder überführet/ 12. Tage lang mit Gefängnis gestraffet/ und ist nochmals seinem Weibe gnugsame Caution, daß er derselben hinführo mit Vernunft beywohnen wolle/ und sie nichts hartliches von ihme zubefahren habe/ zubestellen schuldig/ da beneben ihme untersaget wird/ von solchen übelen Beginnen und Sævitiën gegen seinem Weibe abzustehen/ damit er nicht im wiederigen Fall/ mit gebührender/ auch wohl einer Leibesstraffe belegen werde/ und aufn Fall er gebürlichen Caution zu bestellen und aufzubringen nicht vermöchte/ oder aber das Weib über Vermahnen und Zureden/ damit nicht zufriede seyn wolte/ würde sie zu Bett und Tisch/ von



von ihm absondert / und were er dann also nicht weniger dem  
Weibe gebührenden Unterhalt zureichen pflichtig / in Verbleibung  
dessen / wurde sie in die Güter ihres nachrückigen Unterhalts sich  
daraus zuerholen immittiret und dabey billich beschützet. Ex  
quo præjudicio etiam notandum, quod uxor à marito interim  
ali debeat, licet seorsim ab eo, culpâ scil. ipsius habiter. Con-  
fer. *Magnif. Dn. D. Richter. p. 1. Dec. 9. in fin.* ubi idipsum præ-  
judicio quoque confirmat. *Jurisconsultiss. Dn. D. Johan. Philippi  
Fetus Lipsiensis famigeratiss. in usu Pract. ad Inst. lib. 1. eccl. 54. n. 1.  
& 4.* Et si mulier propter hujusmodi sævitiam à viro aufugiat,  
non est cogenda ut redeat, seque volens conjiciat in periculum  
vitæque discrimen, nisi maritus præstet sufficientem cautionem,  
de non crudeliter sic tractando, quod etiam innuitur in prædi-  
cto præjudicio. *add. Schneidervv. ad tit. Inst. de nupt. part. 4. n. 14.  
& seq.*

§. 12. Quæ cuncta benè concordant cum Pandectis Sacris,  
in Epistola enim *ad Eph. 5. vers. 25.* viri diligere jubentur ux-  
ores, sicuti Christus dilexit Ecclesiam & *1. Petr. 3. vers. 2.* præci-  
pitur, quod viri mulieribus cohabitare debeant cum ratione, &  
illis tanquam infirmiori vasculo honorem tribuere. Idem vult  
*Paulus in Epist. ad Colloss. 3. vers. 19.* dicens: viri diligite uxores,  
& nolite amari esse ad illas. Illudque nisi fieret, maximum in-  
de exoreretur thori conjugalis incommodum, siquidem crebris  
verberibus dirimitur nodus ille conjugalis amoris, (qui omnes  
omnium amores & amicitias superare debet, uti certè *Artemido-  
rus scripsit*) affectionis & concordia maritalis, quæ omni lucro  
preferenda, quâ etiam nihil excogitari potest beatius. Unde  
eleganter *Vennsinus ille Vates canit lib. 1. od. 13.*

*Felices ter & amplius*

*Quos interrupta tenet copula nec malis*

*Divulsus querimoniis,*

*Suprema citius solvit amor die.*

Idem quoque suadere videtur ortus mulieris, quippe quæ non  
ex capite viri prodiit, ne heræ sibi partes arroget: nec ex pede,  
ne serva planè videatur; sed ex costa, ut lateri adhærens socia  
sit marito *Hilliger in Donell. enucl. lib. 13. c. 21. lit. P.* Uxor ita-  
que





que mansuetudine & amore est ut socia à marito tractanda. *Dn. Mollerus sepius cit. loc.*

§. 13. Consideravimus hactenus *Jus maritalis* secundum conditionem *absolutam*, sequitur nunc consideratio *relata*, quæ *familiam* respicit. Hujus respectu rursus distinguuntur homines, quod sint *vel sui Juris*, vel *alieno Juri subjecti*; Hi sunt vel *potestati Dominorum* vel *parentum*, vel etiam *maritorum* subjecti. *Magnif. Dn. Struve in Synt. Civ. Ex. 3. tb. 7. § 28. junct. Ex. 29. thes. 56.*

§. 14. Missis duabus prioribus, nos *tertiam*, quæ propius ad propositum nostrum accedit, pertractandam sumimus, ac potestatem quam *maritus* in uxoris caput habeat, paucis adumbra- bimus. Sed ut nihil antiquitatis penitus ignoretur, uti in simili loquitur *Imperator in §. 1. Inst. de Testam. ordinand.* proinde notandum, triplicem apud *Veteres* in usu fuisse modum, quo uxor è potestate patriæ exhibat, & in potestate viri esse incipiebat: *Primus* & antiquissimus modus fuit *Usucapio*, qua intra annum, si non interrompebatur, veniebat uxor in potestatem mariti, licet antea sui Juris & in potestate tutorum fuisset, idque *Jure XII. tabularum Gell. noct. att. l. 3. c. 2.* *Secundus* erat *Conventio*, quæ non erat ipsum matrimonium, sed quædam ejus solennitas, habens hunc effectum de qua *Ulpianus in suis fragment. tit. de his qui in manu sunt: Farre convenitur*, inquit, *in manum, certis verbis & testibus X. presentibus, & solenni sacrificio facto, in quo panis quoque farreus adhibetur.* Qui modus *Confarreatio* dicitur & à *Romulo* institutus traditur *Dionys. l. 2.* Cui opposita est *Diffarreatio*, hoc est, solutio ejusmodi matrimonii. *Tertius* modus perveniendi in manum & potestatem viri dicebatur *Coemptio*, quæ uti adoptio imaginariis venditionibus peracta & mancipatione, Huic opposita *Remancipatio*, *Rosin. antiq. Rom. lib. 37.* His tribus modis conveniebat uxor in manum mancipiumque viri, aut ejus, in cujus manu mancipioque vir erat, ac propriè vocabatur *materfamilias*: quoniam non in matrimonium tantum, sed etiam in familiam mariti & in sui hæredis locum venisset *Gell. Noct. att. l. 18. c. 6. Cicero in Topicis lib. 2.* Genus est uxor dicit, ejus duæ sunt formæ, una *materfamilias*, hæ sunt, que



quæ in manum convenerunt. Altera earum, quæ tantummodo uxores habentur add. *Ulpian. in Inst. tit. 22. §. 12.*

§. 15. Verum hæc distinctio matrimoniorum moribus postea rectè fuit mutata, *Bodinus de Repub. lib. 1. c. 3.* ommissa enim est omnis in manum conventio, quæ jam *Tiberii* tempore omitti cœpit testis est *Cornel. Tacitus lib. 4. annal. 16.* ommissa quoque tandem est *Coemptio*, itaque duntaxat uxoris reliqua est forma, quæ in matrimonium tantum venit, quæ tamen ipsa matrumfamilias nomen sibi vindicavit *l. 4. ff. de his qui sui vel al. Jur.*

§. 16. Ne quis autem miretur uxorem de Jure civili, in viri potestatem constitui, cum materfamilias simili modo sit suæ potestatis ut *Paterfamilias dict. l. 4. Ulpian. in fragm. pr. eod.* neq; matrimonium hoc Jure sit modus solvendi Patriam potestatem *l. 2. §. 1. in fin. l. 29. pr. ff. sol. matr. l. 20. ff. ad L. Jul. de adult. l. 18. pr. C. de nupt. §. 2. Inst. de SCt. Tertull. l. 5. c. de condit. insert. Schneidev. ad §. ult. Inst. quib. mod. p. p. solvitur. excellentiss. Dn. Schröter in animad. ad Suthold. Diss. 2. a. ult. Dn. Struve in Synt. Jur. Civ. Ex. 3. th. 68. & in evolut. contr. ibidem ubi ad bina dubia respondet. nec nova nupta desinit esse in potestate Parentis *Gudel. de Jur. Noviss. l. 1. c. 7. in pr.* Idèò tenendum, hoc non debere sic accipi, quasi Jure matrimonii uxor in viri veniat potestatem, nisi quantum ad Jus naturæ & gentium *Bachov. ad Treutl. Volum. 2. D. 6. lit. I. Grotius de I. B. & Pac. l. 2. c. 5. Wesenb. in parat. de his qui sui n. 3. ibid. Hahn. Dn. Libenthal. in coll. Polit. Ex. 4. q. 10.**

§. 17. Cæterum hodie consuetudine & more Gentium ubiq; locorum receptum & apud omnes ferè nationes & populos inductum est, ut nuptiæ solvant patriam potestatem, uti hoc latissimè de *Germania, Gallia, Britannia, Burgundia, Nivornia, Longobardia, Belgii, Neapoleos, Anglia, Italia* consuetudine comprobatur *Berlichius in suis Conclus. pract. concl. 11. n. 34. & seqq. ubi innumeros Dd. in testimonium producit, add. Suthold. Diss. 2. a. ult. Dn. Eyben in eleganti commentatione de tutela feminea part. 2. memb. 4. th. 3. qui ibidem etiam notat Hagemierum, quod statuat Sutholdum d. l. malè de moribus nostris asserere Patriam potestatem per matrimonium solvi, cum secundum illos nulla sit patria potestas, aut ubi? quando? quâ lege? quâve consuetudine, illa sublata?*

D

confer.



confer. Enenkel. de priv. Parent. § liber. p. 1. c. 12. cui jungatur Dn. Philippi Us. pr. l. 1. eccl. 44. per totam. de Frisorum moribus disertè loquitur lex Frisica l. 1. ordin. tit. 6. Daß in diesem Lande die Kinder geeximiret und entlassen werden von der Macht von ihrem Vater durch die Ehe. Johan. à Sande lib. 2. t. 7. d. 5. Nobiliss. Dn. Adrianus Beier J. U. D. & Curie Ducalis Jenensis Advocatus ordin. in notis ms. jam in gratiam commilitonum publici juris factis ad Synops. Schulz tit. quib. mod. P. P. solv.

§. 18. Imò de Jure Sax. nupta statim celebratis nuptiis in tutelam & curam maritorum transit, wenn er das Brautbette beschritten lib. 1. Landr. art. 31. wenn ein Mann ein Weib nimbt. art. 45. in verb. und ob wohl ein Mann. lib. 3. art. 45. ubi gloss. in verb. der Mann ist. gloss. in art. 26. Weichbild. n. 46. Colerus p. 1. dec. 12. n. 4. & d. 18. n. 5. item Dec. 66. n. 3. & p. 2. d. 286. n. 199. Magnif. Dn. Richter part. 1. Dec. 9. n. 2. & part. 2. Dec. 76. n. 38. Dn. Philippi in Usu Pract. ad Inst. lib. 1. eccl. 77. n. 5. ita ut per has à patria potestate liberetur, etiamsi elocata, jam cum patre denuò habitet. Matth. Bertich. p. 2. concl. 11. n. 47. B. Carpz. p. 2. c. 10. d. 2. n. 12. licet etiam mensa patris adhuc fruatur Dn. Struve Ex. 3. th. 68. in fin. cujus rei præjudicium ex Carpzovio de promit. Dn. Philippi d. l. in fin. Quapropter non poterit amplius sub potestate patria manere, quia sicuti res, ita nec persona in plurium potest esse potestate l. 5. §. ult. ff. comm. l. 141. §. 1. ff. de R. I. Wesenb. in parat. ff. de his qui sui vel alien. n. 3. Dubiam quidem hanc sententiam pronunciat Modestinus Pistoris in Intell. singul. ad l. 1. Landr. art. 11. eo quod Zobell. ad art. 45. l. 3. & art. 31. l. 1. Landr. Jus commune expresse à Saxonico correctum non esse affirmet. Verùm litem hanc decidere voluit Serenissimus Saxo in peculiari constitutione p. 2. d. 10. sanciens ut unice & loco emancipationis habeatur separatio, non quidem habitationis l. 1. Landr. dict. art. 31. in verbis. Sie sondern sich mit der Kost oder nicht / sed familia, ad eò ut dum ingreditur lectum viri uxor, simul egrediatur imperio paterno, prout communiter interpretes Juris Saxonici decidunt Facsch. Diff. 67. Reinhard. p. 6. Diff. 24. Wes. in Comm. sffrorum cit. loc. Consultiss. Dn. Schröter in pral. pub. ad eundem, ubi etiam Basbovium ad 17. vol. 2. D. 6. lit. I. tanquam dissentientem adduxit.



§. 19. Prono hinc nunc quasi alveo fluit, prædictorumq;  
confectarium est, quod uxor moribus nostris sit sub potestate &  
tutela maritali, statim post contractum matrimonium, cuius po-  
testatis ea vis & energia est, quod mulier marito debeat exhibere  
obsequium matrimonii *arg. l. 5. C. de condit. insert. l. 4. C. de col-  
lat. l. un. §. 7. C. de rei ux. act. B. Hahn. ad Wes. de his qui sui n. 3.*  
ac operas obsequiales, *arg. l. 31. pr. §. 1. ff. de donat. inter vir. &  
ux.* Quod mulieres gaudeant dignitate maritorum *l. 8. ff. de Se-  
nat. l. 13. C. de dignit. l. 10. ff. de rit. nupt.* quod splendor uxoris  
pendeat à marito veluti à sole, *Bodinus de Republ. lib. 1. c. 3.* quod  
fulgeant & corruscent radiis suorum maritorum, *l. 10. c. de nupt.*  
*junct. novel. 105. c. 2. in pr.* quod sequantur ejus conditionem, *l. 3.*  
*C. de murileg. lib. 11.* quod honore maritorum erigantur & gene-  
re nobilitentur, secundum constitutionem Imperatorum *Valen-  
tis, Theodosii & Arcadii sub duabus rubricis in l. ult. C. de incol. lib.*  
*10. & in l. 13. C. de Dignitat. lib. 12. positam*, illiusque honoris se-  
quela & pars sint, *Georg. Schönborn. lib. 1. Polit. c. 6.* maritus ita-  
que nobilis si uxorem duxerit plebeam, illam omnium Jurium ac  
privilegiorum, quibus mulieres naturâ nobiles gaudent, parti-  
cipem reddit; *B. Dn. Carpz. I. P. F. S. p. 3. c. 37. d. 2. confer. Henr.*  
*Neuenhan de Jur. & Priv. vid. sect. 1. p. 94. & seq.* licet olim fue-  
rint & adhuc hodiè sint nonnulli, se nobilitatem à mulieribus  
suis accipere posse putantes, quorum longum Catalogum re-  
censet *Bodinus de Republ. lib. 1. c. 3. fermè in fin.* Frustra tamen  
mariti plebei foeminas nobiles ducentes, de consequuta nobili-  
tate gloriantur, cum potius & ipsæ per nuptias cum plebeo ini-  
tas, factæ sint plebeæ *l. 1. C. de Dignit. l. 8. ff. de Senat.* Siquidem  
uxor nobilis nunquam nobilitat virum ignobilem, nec vel  
tantillum dignitatis inde consequitur maritus *Magnif. Dn. D.*  
*Richter in Volum. Decis. part. 3. novissimè edita Dec. 132. n. 6.* quò  
collimat & illud *Oweni lib. 2. Epigram. 103.*

*Vir quamcumq; comes duxit comitissa vocatur,*

*Non semper nupsit cui comitissa comes;*

*Sic à sole suum derivat Cynthia lumen*

*Sol à se lucem non aliundè petit.*

Hinc etiam Doctor ducens mulierem plebeam, illam quoque no-

D 2

bilem



bilem, privilegiisque suis corruscantem reddit per d. l. 13. C. de Dign. novell. 12. c. 36. Doctores enim non solum nuda appellatione nobilibus annumerantur, sed & ipsorum reapse gaudent Privilegiis l. 7. C. de postul. Tiraquel. tr. de nobil. c. 8. n. 68. Harprecht. ad §. ult. Inst. de Iure Pers. n. 11. & seq. Consultissimus Juris Doctor Dn. Joban. Volck. Bechman. in tr. de Privil. Studios. c. 8. n. 18. & seq. Porro hujus effectus sunt, quod uxor denominationem ab officio mariti sortiatur, Mart. Benekendorff. ad l. 2. ff. de R. I. fol. 1. m. 3. p. 2. art. 1. n. 3. quod privilegia personalia & immunitates maritorum uxoribus communicentur l. 6. C. de Profess. & med. l. 2. §. ult. C. de Episc. & Cleric. l. ult. C. de injur. l. 11. C. eod. Magnif. Dn. Richt. dict. Dec. 132. ita ut etiam immunitas clericorum extendatur ad eorum uxores Magnif. Dn. Praeses in pralect. publ. C. ad L. 2. de Episc. & Cler. n. 3. quod uxor sequatur Domum mariti tanquam capitis & Principis familiae. Gudel. l. 1. c. 7. Quemadmodum enim caput ceu principalior pars corporis, ad se trahit reliqua membra; l. 44. ff. de religios. & sumpt. fun. Ita etiam uxor sequitur maritum l. 13. C. de dignitat. lib. 12. B. Ungeb. ex Justin. 6. q. 12. in Ajo. Hæc occasione non inconcinne quaeritur, An mulier teneatur etiam sequi virum vagabundum? Simpliciter quidem id affirmat Menochius de arbitr. jud. quest. cas. 469. n. 4. & 5. & Gilhaus. arb. Civ. c. 1. p. 2. §. 4. n. 10. Nobis tamen placet Distinctio Magnifici Dn. Richteri in Volum. Decis. part. 1. Dec. 9. n. 6. An scilicet mulier initio sciverit maritum esse vagabundum, das er ein Wareschreyer oder Landläuffer were / & tenetur eum sequi, serò enim accusat mores mariti, quos nubendo comprobavit Schönbor. in polit. l. 1. c. 6. An verò nesciverit, & non est obstricta, ut eum sequatur. vide sis Schneidew. Inst. de nupt. part. 4. de Divortio n. 47. Dn. Richter, cit. loc. qui tamen n. 6. cautelam addit hanc, nisi maritus ex certa causa se ad alium locum transferat, an & rebellem & exulem? Sanè, si mutet Domicilium omnino sequi cogitur v. Beust. de Sponsal. part. 3. c. 32. non obstante pacto, quo maritus cavit se non discessurum à Domicilio uxoris sicuti communiter fit quando quis divitem uxorem ducit Hiliger in Don. Enucl. l. 13. c. 21. lit. m. & l. 12. c. 21. lit. b. Hoc enim pactum tam diu valet, donec nova superveniat causa, pro  
per



pter quam maritus decedere cogitur, & tunc uxor tenetur sequi  
maritum *Panormit. inc. 1. x. qui matr. accus. poss. Schneid. d. l.*  
*n. 48.* quinimò bannitum maritum uxor sequi tenetur, Depor-  
tatione enim non solvitur matrimonium *l. 24. in fin. C. de donat.*  
*inter vir. & ux. l. 1. C. de repud. nec uxor maritum bannitum ejicere*  
*potest, cum mulier viri calamitates moderatè ferre debeat l. 22.*  
*S. 7. ff. sol. matr. Gail. de P. P. l. 2. c. 10. n. 18.* Decet etiam mulie-  
rem, ut eandem cum viro habeat habitationem, ita, ut maritus  
uxori, & hæc illi habitare teneatur, & si aliquando accidat, quod  
uxor propter rixas à maritò velit aufugere, potest fugienti ma-  
nus injicere, eamque propriâ authoritate è fuga retrahere. *gloss. in*  
*C. 1. x. de conjug. leprof. quò tendit & illud Ovidianum:*

*Aut tua cura mei, si te pia tangit Oreste,*

*Injice non timidas in tua Iura manus.*

Hoc est in me uxorem tuam, nisi dicere velimus, id potius ex  
*Græcorum legibus* esse profectum, cum uterque uxor & maritus  
fuerint græci. Ulterius uxor debet præstare marito auxilium idq̃  
patet ex ipso formationis fine, est enim prima fœmina in adju-  
torium viri creata *Gen. 6. 2. vers. 20.* Hinc Poeta Græcus:

*Quære adjuvamen rebus uxorem tuis.*

Et iterum,

*Honesta mulier est gubernaculum Domus.*

Insuper etiam convenit mulieri, ut sequatur maritum in omni  
fortuna *Exod. 18. vers. 2. & 3. 1. Samuel. 27. vers. 3. Gen. 29. vers.*  
*21.* ut experiatur mariti calamitates *1. Samuel 19. vers. 11. 1. Re-*  
*gum 14. vers. 4.* ut ad mores mariti se componat & accommodet  
*1. Cor. 7. vers. 4. Proverb. 31. vers. 11. 12.* Sine ejus consilio nihil  
agat *Num. 30. v. 7. & 8.* Est enim uxor propter virum & adju-  
mentum viri & ex viro condita *Gen. 2. vers. 8. 1. Corintb. 11. v. 9.*

#### SECTIO QUARTA

Proponit Jura maritorum circa res uxorias, tam  
allodiales quam feudales.

*S. 1.*  
Consideratis Juribus maritorum circa ipsam personam mulieris,  
progredimur jam ad ea, quæ maritos ratione rerum comitan-  
tur



tur, & vel in amittendo seu alienando, vel in acquirendo vel conservando versantur *l. ult. ff. de LL. Dn. Praeses in Diss. Just. 6. apb. 1.*

§. 2. Est autem Jus hocce duplex (1) in Re (2) ad Rem, *l. 19. l. 11. l. 13. §. 1. ff. de damn. infect. l. 30. ff. de nox. act. c. 17. c. 40. de prob. & dign. in 6. c. fin. de concess. prob. in 6. Magnif. Dn. Struve in Synt. Jur. Civ. Ex. 3. th. 87. & in Synt. Feud. c. 1. apb. 2. in exegefi.*

## CLASSIS I.

### Monstrans Jura mariti ratione Juris in Re.

#### MEMBRUM I.

#### Ostendit ea quoad alienationem.

##### §. 1.

**J**us in Re describimus cum *Magnif. Dn. Praeside in coll. priv. theor. Jpract. ad tit. Inst. de action.* quod sit Jus, quo res legitimè quaesita in patrimonio possidentis durat, cujus communiter, quinque enumerantur species, Dominium scil. possessio, servitus, pignus & Jus hereditarium *vid. B. Hahn. Diss. de Jur. rer. concl. 33. & ad Wes. ff. de re Ind. n. 4. add. Dn. Struve Ex. Pand. 3. th. 88.* reliquis speciebus hac vice praetermissis, peculiariter videbimus de Dominio.

§. 2. In Dominio igitur praecipuo ac potissimo Jurium in re articulo, circa personam alienantem certa Jura occurrunt. Sanè enim non omnibus qui rerum suarum sunt Domini, liberam de iis disponendi facultatem juxta *l. 21. C. mand.* concedunt leges, *confer. pr. Inst. quib. alien. licet*, cum nec semper irrestricta potestate rei alicujus Dominus quis efficiatur, adeoque ipsum Dominium non sit uniforme, *vid. eleganter de hoc differentem Dn. Struve Ex. 11. th. 55.* Unde maritus, quamvis fundi dotalis durante matrimonio sit plenarius Dominus *l. 9. §. 1. in fin. l. 75. l. 7. §. 3. ff. de jur. dot. l. 5. l. 23. C. eod. l. 13. §. 2. l. 21. §. 4. ff. ad municipal. vid. Satholt. diss. 6. apb. 47.* ibique *Nobilissimum Dn. Schröterum ICtum non minus eruditione quam Stemmata clarum, Patronum ac Praeceptorem meum sanctè devenerandum in curatis animadvers. voc. ut negatur Vulteus*, atque hujus intuitu possit percipere fructus *l. 7. pr. ff. de jur. dot. l. 20. e. eod. tam naturales l. 10. §. 3. ff. de Jur. dot. l. 7. §. 10. junct. l. seq. ff. solut. matr. l. un. §. 9. C. de rei ux. etc.*



act. quam civiles, quales sunt pensiones prædiorum dict. l. 7. §. 2.  
10. 11. solut. matr. B. Ungeb. Ex. 7. q. 6. in voce ajo. Quod enim  
ex re mariti sit, ad ipsum etiam pertinet per regul. comm. in l. 12.  
§. 3. ff. ad exhib. item quod ab ipso dos, ante nuptias data, non  
sequitis nuptiis conditione repetatur l. 7. §. 3. ff. de Iur. dot.  
quod dominium præsupponit l. 1. §. 1. ff. de condict. tritic. §. 14. Inst.  
de act. quod soli marito, non uxori competat rei vindicatio l. 9.  
C. de rei vindic. Magnif. Dn. præses Diss. ad Ius Iustin. 3. apb. 13. Dn.  
Struve Ex. 11. th. 5. & in evolut. contr. ibidem. ubi & textus obstan-  
tes resolvit quos in conflictu videbimus, etiam contra ipsam mu-  
lierem l. 24. ff. rer. amot. Dn. Præses d. l. quod maritus possit ser-  
vum dotalem si solvendo sit, manumittere l. 3. C. de Iur. dot. l. 21.  
ff. de manumiss. & quod Dominium dotis ad mariti transeat suc-  
cessores universales l. 1. §. 1. ff. de fund. dot. Vinnius Comm. ad pr.  
Inst. quib. alien. licet n. 2. Vid. plura in Magnif. Dn. Præsidis all.  
Diss. 3. & Iohan. Harprecht. Comm. ad Inst. quib. alien. licet. Nihi-  
lominus tamen maritus illum ob Dispositionem Justiniani (qua  
habetur in l. un. §. 15. C. de rei ux. act.) invitâ uxore alienare, nec  
consentiente uxore oppignorare potest add. pr. Inst. quib. alien.  
licet & tot. tit. ff. de fund. dot. Nobiliss. atq. Consultiss. Dn. Iohannes  
Weinhage I. U. D. ac Westphalici soli practicus longè celeberrimus,  
Patronus meus honorandus in coll. priv. Susati ad Inst. habito, vide-  
fis Nobiliss. Dn. Daniel. Beyerum in Iustiniano Controv. Ex. 7. §. 14.  
ubi & tres tex. obstantes adducit, tum ne ex fragilitate naturæ blan-  
ditiiis & minis maritalibus facilè alienationem concedat, l. ult. ff. si  
quis aliq. testat. tum etiam ne mulieres ita consentiendo, contra  
propria commoda laborent l. 4. C. de spons. atque sic in repen-  
tinam deducantur inopiam, uti Iustinianus noster in d. l. un. loqui  
amat. cum intersit Reipublicæ mulieres esse dotatas, l. 2. ff. de Iur.  
dot. ne quidem si sit miles l. 16. ff. de testam. milit. Harpr. ad dict.  
pr. & licet etiam mulier post biennium semel atque iterum con-  
senserit, quia alienatio ipso Jure cum sit nulla mulieris consen-  
sus superveniens, quicquam contra leges posse non videtur. Dn.  
Præses in præall. Diss. apb. 14 imo in tantum hæc alienatio est  
nulla, ut ne quidem juramento uxoris consolidari queat, cum sit  
contra expressam legis prohibitionem facta l. 5. §. 1. C. de LL.  
Schneid.



*Schneid. ad pr. Inst. quib. alien. licet Dn. Philippi l. 2. eccl. 40. n. 2.*  
*Dn. Schröter in pral. pub. ad Comm. Wesenb. de Iurejur. n. 13.*

§. 3. Concessa verò est marito alienatio (I) rerum immobili-  
um æstimato datarum l. 9. §. 1. ff. de fund. dotal. & hoc quasi per  
contractum l. 10. C. de Iure dot. ita tamen ut electio mulieri sit reli-  
cta, an velit rem an verò æstimationem repetere l. 1. C. de fund. dotal.  
(II) Si conditio mulieris sit meliorata, quando nimirum pecunia  
ex venditione redacta, conversa sit in venditionem fundi utilio-  
ris l. 26. l. 27. §. 61. §. 1. l. fin. ff. de Iur. dot. (III) Si necessitas ur-  
geat l. 1. pr. ff. de fund. dot. l. 2. C. eod. necessitas enim frangit le-  
gem, l. 7. pr. ff. de administ. tut. (IV) Si dos data fuerit in mone-  
ta vel alia re, quæ pondere, numero, aut mensurâ constat. Has e-  
nim res pro arbitrio distrahere potest, modo soluto matrimonio  
ejusdem generis & qualitatis alias restituat l. 42. ff. de Iur. dot.  
(V) Si res fuerint mobiles, cujuscunque generis, præciosæ an vi-  
les, pr. Inst. quib. mod. alien. l. 3. §. 2. ff. de suis & legit. l. 3. C. de  
Iur. dot. l. ult. C. de serv. pign. dat. B. Ludwel. ad dict. pr. n. 1. in  
fin. Dn. Habn. ad Wes. de fund. dot. n. 4. (VI) Si mulier alienatio-  
nem Juramento confirmaverit. Hoc enim de Jure canonico est  
servandum per c. 28. x. de Jurejur. §. c. 2. de pactis in 6. Vallensis  
in parat. Iur. Can. l. 2. tit. 24. §. 9. n. 3. Hunius l. 2. variar. resolut.  
jur. civ. tract. 4. quæst. 15. sub fin. Harprecht, Wesenbetius, Myn-  
finger, Schneidev. Ludvell. Vinnius, Dn. Philippi ad dict. pr.  
Wesenb. in parat. de fund. dot. n. 6. §. 7. Perez. in C. de fund. dotal.  
in fin. Dn. Brunnem. ad l. 1. §. 2. eod. Dn. Struve in Synt. Civ. Ex.  
30. th. 21. in fin. Dn. Schröter in observ. ad Suthol. Diff. 6. apb. 48.  
Geil. l. 2. c. 39. n. 14. Myns. cent. 3. c. 10. n. 5. cum ejusmodi jura-  
mentum in alterius præjudicium non redundet, nec observatum  
vergat in dispendium salutis æternæ, dict. c. 28. in fin. §. c. 2. de pactis  
in 6. Dn. Preses l. c.

§. 4. Verum enim verò, moribus nostris ac præprimis  
Saxonicis & Lubecensibus, maritus res dotales indistinctè omnes  
rectè alienat, si modo interveniat (α) consensus utriusque con-  
jugis, tam mariti quam uxoris (β) ut accedat consensus curato-  
ris ad istum actum ordinati, (γ) ut præcedat causæ cognitio, ex-  
pediat mulieri, nec ne? (δ) ut superveniat autoritas magistratus,  
sub



sub cuius jurisdictione bona quæ alienanda, sita sunt. Quæ cuncta si ritè observata fuerint, alienationem ubivis locorum procedere putamus, sin minus competit mulieri, vel ejus hæredibus, & actio realis, adversus possidentem rem alienatam, & personalis, adversus maritum & ejus hæredem *Pensold. in add. ad Coler. Dec. 289. n. 209. Schultz. in Synops. Inst. quib. alien. licet lit. b. Dn. Fuchs. in tab. Jur. ad dict. tit. B. Carpz. p. 2. const. 15. d. 21. & Decis. illust. 143. n. 28. & in tr. de Jur. fam. Dec. 3. pos. 7. n. 34. & seqq. Dn. Brunnem. ad l. 2. C. de fund. dot. Magnif. Dn. Richter in tr. de success. ab intest. sect. 4. memb. 2. n. 10. & seqq. Dn. Struve Ex. 30. eb. 22.* oppignoratio tamen rerum dotalium pro debitis maritum demum valida est, si renunciatum fuerit beneficio S<sup>C</sup>ti Velleiani, & quidem in plerisque Germaniæ locis secundum Jus canonicum *c. 28. x. de Jurejur.* jurata renunciatio requiritur *Dn. Mevius ad Jus Lubec. l. 1. tit. 5. art. 8. & 9.*

*§. 5.* Belgarum autem & aliorum moribus res longè aliter sese habet, cum enim ibi conjugalis bonorum communio tam quoad possessionem, quam quoad Dominium obtineat, *Grotius Introd. l. 2. p. 11. n. 4. Job. à Sande l. 2. tit. 5. d. 5.* & quidem in omnibus bonis, exceptis feudis, (unde & magnates ibi plerumque hac in re Jus scriptum sequuntur) cumque etiam ibi maritus uxoris suæ perpetuus curator sit *Græn. ad §. 19. Inst. de excus. tut. Sutbold. in Diss. 6. aph. 47.* Hinc maritus quoque invitâ & reluctante uxore, bona ejus alienare aut obligare potest, nisi (1) ea potestas nominatim ei pactis antenuptialibus restricta, vel nisi (2) ob pravos mores publicè adempta sit. *Grænev. ad dict. pr. Inst.*

*§. 6.* Cæterum non frustra dubitatur *utrum mulieri citra consensum mariti licitum sit bona sua tam immobilia quam mobilia alienare?* quod de Jure civili certo modo affirmatur, si quidem mulier respectu hujus liberam habet potestatem alienandi bona sua, sive Paraphernalia fuerint sive receptitia, solis dotalibus exceptis, neque requiritur præsentia vel consensus mariti *l. 6. C. de revoc. donat.* cum bona hæc planè uxoris sint *l. 8. l. ult. C. de pact. convent. l. 9. §. 3. ff. de Jur. dot.* Et marito nihil Juris, nisi quatenus mulier patiatur, competat *dict. l. 8. &*

E

ult.



ult. C. de pact. conv. ibiq; *Gosfred. lit. G.* Veruntamen, cum ex  
sectione precedenti principii loco hic à nobis præsupponendum  
sit, mulieres maritatas de consuetudine hodierna, per nuptias  
cum universâ bonorum suorum substantia in potestatem & tu-  
telam mariti transire, atque eo ipso maritum omnium bonorum  
uxoris administratorem atque fructuarium fieri, imo omnia bo-  
na quasi in dotem accipere *Bachovius ad Treutl. Vol. 2. Diss. 6. th.*  
*7. lit. 1.* usque adeò, ut hinc uxor res suas nequeat alienare, nisi  
mariti tanquam curatoris conjugalis (*Ehlichen Vormundes*) vel  
alterius curatoris peculiariter constituti (*Rrtgischen Vormun-*  
*des*) consensum adhibeat, *Landrecht. l. 1. art. 45. ubi dr. Ein*  
*Weib mag ohne ihres Mannes Willen ihr Gut nicht vergeben ic.*  
*Weichbild. art. 65. Novel. Elect. August. 1. Const. 15. Dn. Malcome-*  
*sus in Comm. nov. ad Wes. de fund. dot. verb. caterum ego credi-*  
*derim Dn. Struve in Synt. feud. cap. 5. aph. 3. n. 1.* cujus consecra-  
rium est, quod nec absque mariti vel curatoris consensu feudum  
constituere possit *Georg. Schultz. Synop. feud. c. 4. n. 25. Schneid.*  
*epit. feud. part. 3. n. 74.* quod tamen fallit in mulieribus illustri-  
bus v.g. Regina, Abbatissa, Ducissa, Comitissa aliave simili, quas  
absque ullis curatoribus feuda rectè constituere posse, apparet  
ex iis, quæ tradunt *Hering. in tr. de fidej. c. 7. n. 517. B. Carpz. p. 2.*  
*c. 15. d. 9. vide sis Dn. Beier. in annotat. ad Disp. Schnob. Feud. 3. th. 2.*

MEMBRUM II.

Exhibet ea quoad acquisitionem

§. 1.

**P**erlustravimus hucusque *Jus mariti in alienando* consistens,  
videamus nunc *Jus ipsi in acquirendo* concessum, quale profe-  
ctò de *Jure civili* non exiguum marito competere, exinde sat  
evidenter perspici licet, quod omnia bona constante matrimo-  
nio acquisita, solius sint mariti, quia & hæc, & ea, quæ uxor  
emit seu acquisivit, vel vivo marito, vel statim post ejus mortem  
de mariti bonis comparata censentur, per textum rotundum in  
*l. 51. ff. de donat. inter vir. & ux. ibiq; Bartol. Salicet & novissime*  
*Dn. Brunnem. l. 6. C. eod. vid. Sutbolt. Diss. 2. a. 17.* quia præsum-  
ptio stat pro marito suâ pecunia, bona esse comparata *Jacob. Me-*  
*noch.*



noch. l. 31. *presumpt.* 51. n. 1. *Carpz. p. 3. C. 25. d. 11. n. 5.* licet quidem in gubernatione domestica, uxor subordinatè cum viro coimperet, ita ut omne lucrum & damnum inter illos sit commune, nihilominus tamen quoad effectum illa quæ constante matrimonio acquisita sunt, *per dict. l. 51.* ad maritum spectant videntur enim hoc in casu leges nostræ eximiam sanctitatem præ se ferre, dum præsumunt omnia labore ac sudore viri esse comparata *Nobiliss. ac Consultiss. Dn. D. Linck in discurs. priv. ad Synt. Struv. reiteratâ vice habito, Ex. 29. th. 55* Ut hoc pacto turpis quæstus suspicio evitetur, & ne mulier ex adulterio vel alio turpi lucro aliquid acquisivisse censeatur. Et hocce assertum in tantum extendunt Dd. ut procedat, etiamsi maritus sit pauper, negligens ac ignavus, imo omnes sciant illum esse decoctorem *Dn. Linck d. discurs.* cum enim soli marito onera matrimonii incumbant v. g. alimentatio uxoris, liberorum totiusque familiæ *l. 22. §. 8. ff. solut. matr. dotatio filiarum l. fin. C. de dot. promiss.* Quare etiam ex natura correlatorum ipsi soli commoda sunt adscribenda *per l. 10. ff. de R. I. c. 55. de R. I. in 6. l. 55. ff. pro socio l. 2. C. de Jur. dot.* adeò, ut etiam fructus dotis consequi debeat maritus *l. 20. C. de Jur. dot.*

§. 2. Ut ut autem hæc opinio de *Jure civ.* sit certissima, tamen suas habet fallentias, non procedit enim (1) in concubina, quia hæc solummodo in consortium est assumpta non vero in uxore. *Dn. Struve Ex. 30. th. 87. Alciat. tr. de pres. in 3. Reg. presum. 26.* (2) fallit in vidua post annum luctus. *Ripa in l. femine 40. C. de secund. nupt.* nec procedit (3) si hæc suspicio cesset, quando videlicet mulier per singularem industriam, puta negotiationem honestam aliamve similem aliquid acquirit, uti opinantur *Mascard. de probat. vol. 1. concl. 50. Alciat. de pres. reg. 3. presum. 26.* nisi inita sit inter conjuges acquirendorum societas, quæ *Jure permissa l. 17. §. 1. ff. sol. matr. B. Dn. Fransk. var. resol. l. 2. q. 11. n. 12.* non locum habet (4) in possessorio judicio, quia in illa mulier obtinere debet *vid. Mynsig. cent. 2. c. 92. n. 7. ubi & n. 8.* alias limitationes recenset.

§. 3. Non solum verò mulier marito acquirere: sed insimul etiam secundum conditionem personæ suæ operari tenetur



cur arg. l. 31. §. 1. ff. de donat. inter vir. & ux. ibiq; Dn. Brunnem.  
n. 2. maximè autem illa à muliere exiguntur, quæ pertinent ad  
ornamenta conjugii & operas muliebres v. gr. ut tractet colum,  
lanam carpat, vestes conficiat, &c. & si otia sua (quæ ut plurimum  
inducunt luxuriam aliaque vitia Paulus de Castro in l. 7. n. 10. ff.  
sol. matr.) depellere nequeat, ad operas officiales, veluti ut le-  
ctum sternat, coquat, lavet, marito exhibendas uxor est assuefa-  
cienda ut communiter volunt Dd. arg. l. 48. ff. de oper. libert.  
Colerus de Process. ex. p. 1. c. 2. n. 226. Dn. Mevius ad Jus Lub. p. 1.  
tit. 5. a. 4. n. 55. & p. 2. tit. 2. a. 12. n. 133. Carpz. p. 2. c. 24. d. 15.  
n. 1. ne stet in domo otiosa tanquam truncus aut corpus mor-  
tuum, neque ante Januam aut fenestram, quo semper præte-  
reuntes aspicere possit. Hic tamen merito excipimus foemi-  
nas nobilioris & honestioris conditionis, quæ præstitis officiis  
obsequiosis à laboribus crassioribus abstinere & solent & pos-  
sunt.

§. 4. Veruntamen prædicta quoad dispositionem usus Ger-  
maniae aliter practicantur, siquidem nostris moribus, ubivis fer-  
mè ipso Jure statim celebratis nuptiis, tanta inter conjuges ini-  
tur societas, ut omnis pecuniæ, omnisque supellectilis, omnium  
denique mobilium, sit inter eos communio, & sic quæ prædia  
constante matrimonio emuntur vel aliter comparantur, utrique  
communiter acquirantur, ac hujus communionis vis cernitur  
ex eo, quod hæc bona æqualiter inter superstitem & defuncti  
hæredes dividantur Gudelin. de Jur. noviss. l. 1. c. 7. ita ut etiam  
medietas bonorum communi industriâ viri & uxoris durante  
matrimonio acquiritorum, cedat superstiti conjugi, daß die halbe  
Gewinnung in stehender Ehe dem überbliebenen Ehegenossen zu-  
gehört. Rittersb. ad novel. part. 7. c. 17. n. 5. unde etiam fluxit  
consuetudo Marchie Brandenburgensis, Constitutione electorali  
confirmata, ut præmoriante marito uxor lucretur dimidium bo-  
norum reliquorum Scheplitz. in add. ad cons. March. Bieselm.  
part. 3. t. 2. §. 1. & acquisita constante matrimonio, æqualiter in-  
ter conjugum hæredes distribuenda, judicarunt Scabini Branden-  
burgenses teste eodem d. t. 2. in add. n. 4. Eandem quoque Con-  
suetudinem in Gallia, Hispania, Anglia, aliisque Provinciis vigere  
scri-



Scribit *Arnisa*, in *relect. Pol. c. 7. sect. 6. n. 12. & seqq.* qui ibidem pro stabilienda hac sententia plaustro Dd. in medium profert: & profectò æquitati consentaneum est, ut extraneis & remotis hæredibus præferatur *uxor*, utpote quæ non tantum in communio- nem corporis & bonorum adscita quoad vixit maritus, fuit; sed sua quoque industriâ, non parum momenti ad hæreditatem pa- randam attulit: Nam ex his rationibus etiam de Jure civili *uxor* succedit ante consanguineos mariti, infra decimum gradum *l. 7. ff. & c. unde vir. & uxor. Schneid. Inst. de hæred. qua ab intest. def. tit. de success. inter vir. & ux. n. 3.* & de Jure Sax. infra septimum, si limitationi *Zobelii* credimus in *Diff. 8. part. 3. n. 5.* Ad Domi- nium vero dimidii bonorum æquum est ut ante omnes cogna- tos vocetur, propter arctam amicitiam, quam cum viro contra- xit & ut laborum & industræ suæ solatium ex fructibus opera- rum capiat, nec limis oculis suo labore saginatum advenam- conspiciens, cum *Virgilio* conqueri necesse habeat, *eccl. 9.*

*En queis consevimus agros?*

*Huc vivi pervenimus advena nostri,*

*(Quod nunquam veriti sumus) ut possessor agelli*

*Diceret hæc mea sunt, veteres migrate coloni.*

Cum *Fabio*, quam ipse consevisset arborem, sub ea indignum esse alium legere fructum. *Liv. lib. 10.* Sic enim iniquum Cen- sent *Jcti*, ut cum conventum esset inter conjuges, ut dos solu- to matrimonio remaneret penes maritum, actio lucranda dotis detur hæredibus mariti ante uxorem mortui, ne quod ab uxo- re profectum est, ad alienigenas devolvatur *arg. §. si quis 35. Inst. de rer. Divis.* quanto minus, quod ab uxore partum est in alie- nam possessionem derivare convenit, cum quæ à nobis parta sunt impensius amemus & tenacius retineamus quam quæ ex hæ- reditate sine nostra opera, nobis obvenerunt teste *Aristot. 4. Eth. c. 1. & 2.* imò vigore hujus societatis, omnia constante matri- monio communiter acquisita, in tantum censentur inter con- juges communia, ut si altero eorum mortuo, vel divortio inter- cedente, matrimonium, & sic societas illa dissoluta sit, dimi- dia pars viro ejusque hæredibus, altera mulieri ejusque hæredi- bus debeatur per *C. significavit. 2. x. de donat. inter vir. & ux. Joh.*



*Lopez. de lucr. mar. & ux. cap. 5. in fin. & c. 6. in pr.* prout ita in causa Heredum Georgi von Braverdinghausen contra haereses Trinen iur. Hawen in Inclyto *Judicio Susatensi* anno. 1637. die 15. Junii decisum, quæ sententia postea in Secunda Appellationis Instantia, in curia scilicet *Magnifici Magistratus Susatensis* fuit confirmata, attestantibus primæ & secundæ Instantiæ actis.

§. 5. Cæterum de *Jure Saxon.* videntur esse aucti modi per alios acquirendi *in pr. Inst. per quas personas cuiq. acq.* enumerati, dum *mariti* quoque per *uxores* acquirunt, quod non restringendum est ad solam mercatricem ut vult *Schultz. in Synops. ad dict. pr.* Sed in universum quoad omnes hoc procedit, si suspicionem lucri turpiter quæsitæ velint evitare *Dn. Beier in notis ad eund.* cum enim omnium rerum, ab uxore illatarum fructus capiat maritus, non potest non etiam mercium negotiationum fructus acquirere, *Matth. Coler. p. 1. decis. 18. ibiq. Schultz. in addit.* ampliatur hoc (I) licet utriusque conjugum vel etiam solius uxoris industriâ quid fuerit acquisitum, *B. Carpz. I.P.F. S. p. 2. c. 24. d. 15. n. 1.* qui etiam *in fin.* elegans hujus rei præjudicium adducit. (II) licet mulier mercatrix, propria pecunia negotiando lucretur, ita in *Scab. Lipsiensi* mense Majo anno 1633. fuit decisum *Carpz. p. 3. c. 25. d. 8. & 10.* Non solum autem mobilia, sed etiam immobilia uxoris, stante matrimonio comparata, in dubio præsumuntur mariti pecunia empta, adeoque post mortem uxoris, marito sunt restituenda, in quam rem præjudicium adfert *idem ibidem d. 11. add. Dn. Richter p. 1. Dec. 28. num. 15.*

### MEMBRUM III.

#### Proponit ea, quoad conservationem.

§. 1. Succedit tandem *Jus marito* in conservando & administrando competens, circa quod notari meretur, *maritum* de *Jure civili* modicam habuisse potestatem rerum uxoriarum, cum saltem custodia & administratio ipsi fuerit commissa *l. 9. §. 3. ff. de Jur. dot.* quibus nihilominus maritus invitâ uxore, se immiscere non poterat *l. 8. & ult. C. de pact. Conv.* ibique *Gothofr. lit. G.* Et si marito res uxoris darentur, quo ipse eas administraret, reddere

ra-



rationem administrationis cogebatur *l. pen. ff. ad L. Falcid.* ita tamen ut trita illa ac scita distinctio inter bona uxoris paraphernalia, Dotalia, & receptitia non fuerit insuper habita, nam quamvis omnia bona permanserint penes mulierem, *d. l. 8. & ult. C. de pact. conv.* paraphernalium tamen administrationem habuit maritus *per dict. text. Dn. Struve Ex. 29. th. 56.* Censetur enim in dubio maritus consentiente muliere paraphernalia administrare *Menoch. consil. 56. n. 8. c. 31. Dn. Brunnem. ad cit. l. 9. §. 3. num. 11.*

§. 2. Verum cum in societate hac maritali, uxoris persona & arbitrium subjiciatur arbitrio mariti, merito etiam bona uxoris mariti arbitrio subjiciuntur, cum juxta tritum illud: *accessorium sequatur naturam sui principalis. Vid. c. accessorium de R. I. in 6. & l. 34. ff. de contr. empt.* His accedit quod ex moderna consuetudine in plerisque fermè locis marito præcipua rerum cura incumbat, ac principaliter penes eum libera sit totius rei communis atque familiaris administratio, tam in Judicio quam extra Judicium, sine ullo onere reddendarum rationum, uti hoc *Gudelin. Comm. de Jur. noviss. l. 1. c. 7.* latius prosequitur, hinc sponte sua fluit maritum etiam rectè liberam administrationem exercere, in omnibus rebus uxoris tam mobilibus quam immobilibus, ita, ut etiam paraphernalium usuras exactas, tam in suam quam uxoris utilitatem vertere possit *l. ult. C. de pact. conv. Dn. Brunnem. ad l. 8. & ult. C. eod.* Sic *Iure Frisco lib. 1. ordin. tit. 2.* maritus ut Curator uxoris suæ habet administrationem omnium bonorum mulieris absque distinctione utrum ea dotalia, an paraphernalia sint. *Job. à Sande Decis. Fris. lib. 2. tit. 4. d. 2. in pr. & hanc consuetudinem etiam in Gallia teste Charonda ad cons. Paris. art. 223. Hispania, ceu asserit Guid. Pancirol. l. 1. thes. var. lect. cap. 92. Hollandia, Belgio multisque aliis locis receptam esse quotidiana nos docet observantia. vid. Arniseus in relect. Pol. cap. 7. sect. ult. n. 35.* Administrat autem maritus quando excolit vel locat fundos, Domos, pecuniam fænoris exponit, nomina exigit, actiones vel suscipit vel exercet, summa: ea omnia facit quæ bonus paterfamilias in rebus suis faceret *Sande d. l.*

CLAS-



CLASSIS II.  
Exhibens Jura mariti ratione Juris ad Rem.

§. 1.

CONsideravimus hactenus *Jus mariti respectu Juris in Re*, contemplandum jam erit *Jus illius ratione Juris ad Rem*: Estque illud, quo persona personæ obstringitur & obnoxia fit, ad aliquid rei in patrimonium creditoris redigendum *Magnif. Dn. Preses in supra cit. coll. priv. ad §. 1. Inst. de act.*

§. 2. Provenit autem illa obligatio, vel ex contractu vel quasi contractu, vel ex maleficio, vel quasi ex maleficio *§. ult. Inst. de oblig. quasi contractus & quasimaleficia seponentes, & maleficio ad sect. seq. rejicientes*, paucis tantum Jura mariti ratione obligationum perlustrabimus.

§. 3. Omnis obligatio personam adstringit ad aliquid dandum vel faciendum, *pr. Inst. de oblig. efficitque ut persona cum re uniatur moraliter, unde & vinculum Juris dicitur, & est in re, tanquam in objecto (objective) ac inde ad Jus rerum spectat; in persona autem est saltem subjective Dn. Tabor Ictus solidissimus in part. Element. p. 3. sect. 3. th. 1. in c. 1. §. 1. personarum ergo in contractibus potior est consideratio. Cæterum contrahere possunt, qui pacisci, tam peregrini, quam cives, quia contractus sunt Juris Gentium l. 7. pr. ff. de pactis, ut inde etiam mulier non prohibetur contrahere Dn. Preses Diff. 12. th. 20.*

§. 4. Verum enim vero Jura nostra hodierna, tam provincialia quam municipalia prohibent *mulieres sine Consensu & autoritate mariti* contrahere, sic propter *mulierum fragilitatem* mos inolevit apud omnes ferè *Italos*, ut ipsis mulieribus sit potestas contrahendi interdicta, sine consensu *Mundualdi ut Florentiæ Bald. in l. 6. C. de revoc. don. Tiraquel. de LL. Conn. lib. 2. gl. 1. n. 71.* Sic etiam mulier secundum *Leges Hispanicas* sine mariti consensu contrahere seque obligare nequit, *uti refert Covarruv. de matrim. p. 2. c. 7. §. 1. n. 1. & Vasquius contröv. l. 3. c. 104. n. 1. & l. 4. c. 11. n. 1. & seq.* Idem in *Gallia seu Francia* observari expressè scribit *Nicol. Boër. ad consuet. Bitur. Rubric. Princ. §. 4. in gloss. in verb. de Son mary col pri, Frisorum consuetudo hac*

CLAS



hac in se cum plerisque Gallorum convenit Thomas Herbajus lib<sup>3</sup>  
sing. rerum quotid. c. 17. §. 6. ita ut mulier absque consensu ma-  
riti, nec contrahere atque ita nec vendere, emere, locare &c. ul-  
lo modo possit, Job. à Sande Decis. Fris. l. 2. tit. 4. d. 3. per tot. In  
Lusitania & Castella Regnis, uxores celebrare non possunt contra-  
ctus, nisi de facultate viri, Molina de Just. & Jur. Disp. 288. n. 16.  
In Flandria quamprimum mulieres in manum Viri conveniunt  
alieni Status conditionem induunt, totæque transeunt in pote-  
statem mariti, atque adeò quidem, ut sine autoritate ejus, nec  
legitimè obstringi, nec agere queant, Nicol. Burgund. tract. con-  
trovers. ad cons. Flandriae tr. 1. n. 23. & seq. De Consuetudine Sco-  
tia, uxor sine autoritate viri sui pacisci aut contrahere non pot-  
est, vid. Job. Skene de curribil, in libris, quibus titulus est, Regiam  
majestatem l. 1. c. 30. n. 6. & l. 2. c. 36. n. 6. & 7. Jure Saxonum mu-  
lieres nullo modo contrahere, se obligare, & in Judiciis versari  
possunt, nisi mariti consensu & autoritate adhibitâ Landr. p. 2.  
l. 1. art. 44. in pr. & art. 46. & l. 2. art. 63. Const. Elect. 15. Vid. Dn.  
Struve in sua Jurisprud. Romano - Germ. l. 2. t. 11. §. 1. confer. si  
placet Dn. D. Bechman. ad ff. Vol. 1. p. 1. exer. 4. n. 30. ubi & modum  
contrahendi, quomodo in Saxonia variet, additi quod Jus etiam  
in Geldria, Transilvania & in Vicinis Provinciis in viridi obser-  
vantia esse, testatur Job. à Sande l. 2. tit. 4. d. 1. & 3. Jure Würtem-  
bergico uxores propter infirmitatem suam perpetuò sub tutela &  
cura suorum maritorum continentur Fürst. Würt. Landr. part. 1.  
tit. 18. §. Wir wollen. ac proinde etiam prohibet mulierem con-  
trahere seque obligare sine mariti consensu Fürst. Würt. Landr.  
part. 1. tit. 16. §. andere Weibs. Personen betreffend. & §. Wir  
wollen auch. Huic constitutioni videtur esse simile statutum  
Mediolani ut fert Signor. Homod. consil. 164. in princ. & illud Ge-  
nuæ. Flamin. chartar. Decis. Rot. Genuens. 74. n. 7. 8. Similiter Cre-  
monæ & Comi statutum extat, quod nulla mulier nupta contra-  
here possit vel se obligare, sine consensu viri, teste Lambertin. in  
tr. de Mediolan. stat. in fin. n. 6. Idem est Papiæ ut tradunt Bald.  
cons. 488. in pr. Menoch. arbitr. Judic. cas. 211. n. 1. 2. Et Assisi, ut  
clare patet ex casu, qui ponitur ante consil. Bald. 208. licet con-  
sul. l. 4. & Cons. ejusdem 138. Statuto communis Assisi l. 5. vid. Ti-

F

129,





*maq. de LL. Conn. gl. 1. n. 7.* In civitate amplius *Ancone* in quolibet contractu mulieres debent contrahere consensu viri, uti monstrat *Gratian. Decis. Rotæ Provinc. Marchiæ 145. in add. n. 6.* Idem in terra *Castri* teste *Tiraquel. d. l. Spoleti* statutum est, ne mulier possit contrahere sine præsentia viri *Bald. conf. 23. l. 5.* Idem est *Parme Albert. in tr. Statu. p. 1. q. 110.* nec dissimile est in *Marchia* attestante *Angelo Conf. 88. in pr. Lucie* item ejusmodi statutum reperitur, teste *Josepho Ludovico decis. Rot. Lucens. 74. n. 1.* De statuto *Tuterdino* idem testatur *Vicent. Carac. Decis. 95. n. 1. & 7. præct. concl. 559. n. 2. & 3.* Non absimile statutum reperitur *Verone* referente *Barthol. Capolla. l. 1. conf. 14. n. 1.* *Ferrariæ* quoque ejusmodi statutum extat *Menoch. præd. cas. 211. n. 5.* item *Brixie Menoch. modo cit. c. 211. n. 4.* De consuetudine *Burdigalia* testis est *Arnold. Ferron. in conf. Burd. l. 1. tit. 1. de statu & Jure pers. §. 5. col. 1.* Consimile quoque est in *Pictavia* per expressum textum *Consuet. Pictavia tit. 15. §. 1.* Idem cavetur statuto *Burgundiæ Barthol. Chassan. ad Consuet. Burgund. rubric. 4. §. 1.* Statuto *Alostensi* uxores sine autoritate mariti contrahere prohibentur ut notat *Nicol. Burgund. tr. contr. ad consuet. Flandriæ tr. 1. n. 23. & seq.* *Jure Lubecensi* mulieres ex conjugio maritum curatorem habent, cujus consensu in contractibus utuntur, unde ille ein *Ehlicher Vormundt* dici solet *Dn. Mevius ad Jus Lub. ad l. 1. tit. 10. art. 3. n. 17.* Idem statuto *Hamburgensi* provisum reperitur *p. 1. tit. 9. art. 5.* cum quibus & nostrum *Susatense* convenit.

§. 5. Hinc uxor absque mariti consensu & autoritate contractum aliquem validum celebrare nequit, *Tiraq. de LL. Conn. gloss. 4. n. 2.* *Baldus in l. 27. §. 2. ff. de pactis*, qui consensus ad integrandam mulieris personam interponi debet, ne ex imbecillitate sexus in captionem aliquam incurrat suumque patrimonium diminuat, *Jason in l. 27. §. 2. ff. de pact. n. 21.* adeò ut mulier sine consensu mariti vel alterius curatoris, ne quidem liberationem vel remissionem debiti, vel pactum de non petendo facere possit, quia ejusmodi pactum vel remissio, nihil aliud est, quàm donatio *l. 47. in fin. ff. de oper. libert. l. 29. §. 1. ff. de don.* quod in tantum procedit ut contractus mulieris sine consensu curatoris maritalis vel alterius initus, sit ipso Jure nullus, ita ut etiã mulier ex sua persona eum nullum dicere pos.



possit, ut scriptum relinquerunt *Argentavis ad consuet. Britanicas art. 424. gloss. 1. Vasquius illustr. contr. l. 1. contr. 5. c. 10.* etiam si Juramento sit confirmatus, quod autem nullum est, Juramento confirmari non potest *l. ult. C. de non num. pec. Tiraquel. d. tr. gloss. 4. n. 26.* Sacramentum enim contractui nullo adjectum nihil operatur & contractus nihilominus invalidus est, *Barth. in autb. Sacram. pub. C. si advers. vendit. n. 15. & in l. 2. C. ne fidei dot. det. n. 3.* quin imò contractus mulieris juratò factus, præsumitur dolo factus, & dicitur simulatus *Jason. in l. 15. ff. qui satisdar. cog. n. 29.* Juramentum autem contractum dolosum non confirmat *Zanger tr. de except. part. 2. c. 11. n. 291.*

§. 6. Notandum autem duo requiri ad hoc, ut contractus possit dici consensu & autoritate curatoris conjugalibus factus, primò, curatoris scientiam, wissen ut scilicet intelligat, quod agitur, nec aliter agatur, quam ille scit, *Tiraq. d. tr. gloss. 8. n. 179.* de quo minus dubii est, quia ad autoritatem consensum & ratificationem præstandam plena istius actus notitia præprimis necessaria est. *l. 8. cum l. seq. C. de Jur. & fact. ignor. Dyn. in c. ratum de R. I. in 6.* Deinde Consensum Willen / de quo sequentia benè observanda sunt, (1) quod præcedere debeat ipsum contractum, utpote cum ad legitimandam personam mulieris spectet, & quasi autoritatis loco sit, *vid. Tiraq. dict. gloss. 8. per tot. Mysing. l. 2. obs. 34* imò ad formam modumque ineundi pertineat *Rauchbar. p. 1. quest. 32. n. 43.* ubi autem consensus & autoritas pro solennitate & forma actus requiritur, ibi postea non potest intervenire, sed debet in ipso actu adhiberi. *Vid. Berlich. part. 2. concl. 18. n. 15. ibiq. citatos Dd.* (2) quod non sufficiat tacitus sed expressus ut latè per Jura & exempla docet *Tiraquel. cit. tr. gloss. 7. per tot. Berlich. d. concl. 18. n. 25.* Sed queritur hoc loco: an sufficiat, si maritus mulieri generalem consensum ad omnes contractus, tam præsentibus, quam futuros celebrandos præstet, an verò necessarium sit, ut singulis contractibus in specie suum consensum interponat? Posterius cum *Berlichio part. 2. concl. 18. n. 31.* affirmatur: quia ut jam dictum consensus mariti expressus pro forma ad contractus mulieris præcisè requiritur per ea quæ exhibet *Tiraquel. d. l.* (3) quod specialiter debeat interponi *Tiraquel. dict. gloss. 7.*



n. 113. & seq. quod (4) à presente præstetur vid. *Tiraquel. sæpius cit.*  
*l. gloss. 6. n. 20. & mult. seq.*

§. 7. Commodè occasione hujus materiæ quæritur, an  
*mulier maritata Jure Sax. præter maritum* etiam peculiarem de-  
beat adhibere curatorem ad hoc, ut efficaciter ex contractu suo  
teneatur? circa quam Quæstionem Collegia Juridica atque Sca-  
binatus in Saxonia Divortium invicem fecerunt, attestante *Dn.*  
*Præside in Dissert. 12. aph. 20.* ad quas brevitatis amore *B. l. remitto.*  
Pro negativa sententia decidit nuper *Elect. Sax. Decis. 24.* ubi ta-  
men duos excipit casus, *primus* est, nisi curatorem habeat ad uni-  
versas lites & causas constitutum, & *secundus*, nisi appareat, mari-  
tum sui lucri causa contractui consensisse, wenn zu vermercken/  
daß der Ehemann den Contract zu seinem eigenen Nutzen geschlos-  
sen/ und das unbewegliche Gut/ wegen künfftiger Succession ihme  
zum besten zu Selbe gemacht/ das Eheweib aber dabey keinen Kri-  
gischen Vormundt gehabt/ so ist sie solchen Contract zu hinterzie-  
hen wohlbefugt ic. *Magnif. Dn. Præses prelaud. loc. vid. Carpz. p.*  
*2. c. 15. d. 23. & 24.* quibus *Jctus Mevius l. 1. tit. 10. art. 3. n. 19. Ter-*  
*tium* addit, nisi forte cum maritis vel in rem & commoda ho-  
rum, illæ contrahant, quo casu ad integrandam earum personam  
non immeritò alius curatoris consensus exigitur.

§. 8. Diximus in antecedentibus paragraphis mulierem  
non posse de consuetudine hodierna, sine consensu mariti con-  
trahere, quæ assertio suis premitur limitationibus, *primò* enim  
uxor palam in plurium conspectu *l. 43. ff. de ritu nupt. l. 33. ff. de*  
*verb. sign.* negotiationem sive cauponariam exercens, so zum of-  
fenen Kramladen oder Markt siset/ oder mit ihrem Mann/ Wirt-  
oder Gasttschaft helt/ speciali mariti consensu in singulis nego-  
tiis ad mercaturam seu cauponariam spectantibus opus haud ha-  
bet; quia tali in casu *maritus*, qui sciens & inspiciens uxorem pa-  
lam negotiari non prohibet, eo ipso videtur tacitè consentire,  
imò *marito* authore ejusque voluntate negotium fieri censetur.  
*Gudel. l. 1. c. 7. Vid. Job. à Sande l. 2. tit. 4. d. 4.* usque adeò ut et-  
iam sine *mariti* consensu firmiter contrahere, & se obligare pote-  
rit, quod tamen cum grano salis accipi debet: Nam hoc merca-  
tura exercitium, non unico actu perfici, sed opus esse assiduitate  
& usu



& usu continuo volunt *Dd. juxta Barthol. ad l. maritus §. quasi-  
tum ff. ad L. Jul. de adult. vid. l. 5. §. 3. ff. de Jur. immun. l. 1. ff. de  
trib. act.* Secundò hæc Consuetudo temperatur si maritus longè  
absit à Patria, & necessitas urgeat mulierem contrahere, tunc et-  
iam sine consensu mariti, licitum erit mulieri contractum ali-  
quem celebrare, *Tiraq. d. tr. gloss. 8. n. 6.* Tertio limitatur si ma-  
ritus id, quod mulier utiliter ex re sua gessit, nolit ratum habere,  
tunc æquum est, ut Judex autor fiat, sine præjudicio mariti: non  
enim ferenda est malignitas mariti sine causa recusantis, *Argen-  
traus ad Cons. Britan. art. 427 gl. 1. n. 3. & seqq. & art. 427.* Quarto non  
procedit in ultimis voluntatibus, in his enim mulier sine consensu  
mariti pro lubitu disponere potest *Rauchb. part. 1. qu. 32. n. 6. & seqq.  
Magn. Dn. Richter p. 1. Dec. 27. n. 20.* quoniã mulieribus tantum inter-  
dictum est contrahere, gerere, quæ verba ad Jus testandi non  
pertinent *l. 20. ff. de verb. signif.* ratio diversitatis hæc est, quod,  
quando mulier testamentum facit, voluntas ejus in id tempus  
confertur, ac tum demum effectum & exitum habet, cum mari-  
tus esse desinit *Confer. Berl. d. l. qui à n. 57.* & multis subseq. vi-  
ginti duo limitationes adducit, & *Carpz.* qui principales in  
foro Sax. receptas proponit *d. l. d. 6. & seqq.* decem etiam exce-  
ptiones exhibet *Dn. Mevius ad Jus Lubecens. l. 1. tit. 10. art. 1. n. 45. &  
seqq.* ad quos Doctores, ne ex scriptis scripta, præter necessita-  
tem confecisse videar, B. lect. remissum volo.

## SECTIO QUINTA

Annectit in quantum sese Jus maritalle in  
criminalibus exerat.

<sup>§. 1.</sup>  
**D**ICTUM est in classe 2. §. 2. sect. 4. obligationem aut ex conven-  
tione seu contractu, aut ex maleficio sive delicto nasci; de il-  
lis postquam ex parte actum dicto loco, de hoc justo ordine, bre-  
viter tamen, nunc agendum erit.

§. 2. Ut autem Jus mariti in persona mulieris earumque  
delictis eò melius innotescat, operæ pretium me facturum esse  
puto, si Jus Vetus, quod ante augustissimum nostrum legislatore-  
rem Justinianum in usu fuit præmittam, quo facto Jus nostrum



*hodiernum* eò dilucidius ac clarius apparebit. Notandum proinde quod *Iure Veteri*, mulier non solum in manum mancipiumq; viri convenerit, (*cujus conventionis jam tum sect. 3. §. 14. fecimus mentionem*) sed etiam in ejus, in cujus manu mancipioque vir erat, ac propriè vocabatur materfamilias, quoniam non in matrimonium tantum; sed etiam in familiam mariti & in sui hæredis locum venisset. *Gell. noct. att. l. 18. c. 6. add. Cicero in topicis & Ulpianus in Inst. tit. 22. §. 12.* ubi dicit: sui hæredes sunt liberi, quos in potestate, item *uxor quæ in manu est &c.*

§. 3. In hanc vir habebat statuendi pœnam ex LL. XII. tabul. si vinum bibisset, vel partum vel claves supposuisset, *Bodinus de Republ. l. 1. c. 3.* In adulterio verò deprehensam, & vitæ & necis potestatem, uti patet ex oratione M. Porci Catonis (*antiqui LL. XII. interpretis, ut eum vocat Rittershusius Dodecad. prolegom. c. 6. p. 13.*) quam recenset *Aul. Gellius lib. 10. Noct. attic. c. 23. in fin.* ibi: In adulterio uxorem tuam, si deprehendisses, sine Judicio impunè necare: illa, te si adulterares, digito non auderet contingere, neque Jus est. ubi quidem non verbum necare, sed mulctare usurpatum ait *Cujacius lib. 6. obs. 25.* circa med. quem tamen ex perspicuitate verbi necare reprehendit *Bodinus meth. histor. c. 4.* quamvis & verbo mulctare intelligi videtur occisio, quo sensu *Cicero* usurpat in orat. pro *Milone* post principium ibi: *quâ in turba C. Vibienius ita est mulctatus, ut vitam amiserit.* Unde & apud *Plautum* in mercatore *Syra*, in ea re conditionem mulierum miserabilem conqueritur.

§. 4. Quæ leges à *Romulo* initium sumpsere, qui ut tradit *Plutarchus* in vita ejus, fecit viro potestatem repudiandæ uxoris, si in adulterio deprehensa foret, uxori autem non fecit, item denegavit facultatem accusandi maritos, quam concessit viris in foeminas, teste eodem. Idem decretum habemus ab Imperatoribus *Servio & Antonino* in l. 1. C. de adult. & repetitum à *Constantino* in l. placet C. Theodos. eod. ubi sancitur: viro licere repudiare uxorem, si ea Mæcha sit, non vero uxori Jus fecit repudiandi maritum, si muliercularius sit, (*hoc enim verbo utitur*) sed & legibus Mosaicis viro licebat uxorem repudiare, *Deuteron. 24. v. 1. Math. 5. v. 31. & cap. 19. v. 7. Marci 10. v. 4. Luca. 16. v. 18.* nullibi autem



autem legitur illis ipsis legibus licuisse uxori repudiare maritum, ratio probabiliter reddi potest ex reverentia quam mulier debet viro *l.un. §. 7. C. de Rei ux. act. l. 14. §. ult. in fin. ff. solut. matr.*

§. 5. Quem rigorem occidendi etiam apud *alias gentes* in usu fuisse monumenta scriptorum attestantur. De *Gallis* enim disertè scribit *Cesar lib. 6. Bell. Gall.* quod olim viri in uxores sicuti in liberos vitæ necisque potestatem habuerint. *add. Tiraquel. in tr. de EL. Conn. gloss. i. n. 8.* quam acerbiter tamen dudum apud illos evanuisse, *scribit idem d. l. n. 6.* Apud *Germanos* adulterarum pœna præfens & maritis permissa erat, accisis crinibus nudatam coram propinquis expellit Domo maritus, ac per omnem vicum verberare agat, publicatæ enim pudicitæ, nulla est venia. *Tacitus de morib. Germ. cap. 6.* ex hac Germanorum acerbitate fluxit *lex Longobardorum*, qua viris Jus vitæ necisque datur in uxores *lib. 1. LL. Longobard. tit. qualis mulier liber permis.* Idem Jus etiam extare apud *Gothos, Neapolitanos, Burgundios, Hispanos*, aliosque plures comprobatur *Johan Zeithopff. in tr. Jur. de Jure occid. part. 1. n. 20. & subseqq.*

§. 6. Ast hanc constitutionum acerbiter leges nostræ quibus ex meliori luto finxit præcordia Titan, rectissimè improbant, siquidem *Lex Julia (à D. Augusto lata l. 1. ad L. Jul. Maj. Magnif. Dn. Præses Diff. ult. th. 9.)* prædictam occidendi licentiam marito ademit *l. 22. §. fin. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. l. 1. §. fin. ff. ad L. Cornel. de sicar. Ant. Matthæ. Comm. de crimin. ad lib. D. 48. tit. 3. n. 13. vers. uxorem verò.* Et *Theodosius Imperator* parem repudiandi potestatem concessit foeminae *l. 8. C. de repud.* quæ conceditur viro à *Constantino*, & id quidem magis ad mentem Sacrae scripturæ & sententiam Canonum, quia vir & uxor judicantur ad Paria & Adulterium in utroque sexu pari ratione damnatur *C. Christiana religio. 23. c. 32. q. 5.* nec viro licet, quod mulieri non licet *c. 4. c. 32. q. 4.* imò una lex est viro & foeminae *c. 5. c. 29. q. 1.* Apostolus cum dixisset uxorem non habere potestatem sui corporis, statim subdit, nec vir sui potestatem habet, sed uxor *1. Cor. 7. v. 4.* Neque hanc nostram sententiam infringit *l. 3. §. 3. ff. ad SCum Silian.* ubi dicitur ignosci marito, qui uxorem in adulterio prehensam occiderit. Respondetur in *dict. l. ignoscitur*



tur marito non in totum, sed in tantum, in quantum scilicet ad poenam *L. Corneliae* ordinariam attinet. Hinc etiam sponsa in adulterio prehensa à sponso non occidetur impunè ex identitate rationis.

§. 7. Indulget tamen præfata lex aliquid justissimo ejus dolori, quo ex tam gravi injuria afficitur, dum secundum vulgi Judicium, isti viri reputantur viles & Cornuti, qui suis manibus talem non ulciscuntur. Unde si maritus impetu doloris tractus, uxorem adulteram in actu venereo interfecerit, non ordinariâ homicidii poena; sed mitius & extra ordinem coërceri debet: quia indignatio & justissimus atque acerbissimus dolor, quem temperare difficillimum est, factum ejus relevat *d. l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult. junct. l. 4. C. eod.* & à poena ordinaria excusat ea potissimum de causa, quoniam est actus mixtus, quem veniâ dignum, non justum autores dicunt, proptereaque justus doloris prætextu excusant, *add. l. 1. §. 5. ff. ad L. Cornel. de Sicariis Jacobus Buritzius IGtus Friscus in tractatulo de captiv. c. 2. §. 35.* Confer. si placet, *Magnif. Dn. D. Struve in sua magis docta tractat. de vindict. priv. c. 8. aph. 1. n. 5.*

§. 8. In tantum autem hic justus dolor excusationem invenit, ut etiamsi maritus quoque adulterum (*qui vilis & infamis est conditionis*) domi suæ deprehensum *ἐν ἔργῳ* interfecerit, nihilominus à poena ordinariâ sit liberatus, per expressum textum *l. 24. pr. ff. ad L. Jul. de adult. l. 4. C. eod.* & rationem *preced. §. allegatam.* Statuunt insuper hanc sententiam quod ipsi canones excommunicationis sententiam ab eo removeant, qui in clericum cum uxore, matre, sorore vel filia turpiter inventum manus injecerit violentas *c. 3. x. de sentent. excommun. vid. Layman Theol. Moral. l. 3. tract. 3. part. 3. c. 2. in fin.*

§. 9. Inde etiam *capite quinto* Legis Juliae cautum est, ut viro adulterum in uxore sua deprehensum, quem aut nolit, aut non liceat occidere, retinere horas diurnas nocturnasque continuas, non plus quam viginti testandæ (*ostendendo eum testibus*) & Probandæ ejus rei causa, sine fraude sua, jure liceat *l. 25. ff. ad L. Jul. de adult. v. Nobiliss. Ampliss. ac Consultiss. Dn. Henricus Marquardt L. U. D. nonnullarum civitatum Coloniensium Syndicus, atq.*



*in Patria causarum Patronus celeberrimus, Agnatus & Promotor  
meus debito honore prosequendus, in nervosa Disp. Inaugur. de tem-  
pore legali pos. 3. §. 3.*

§. 10. Imò novissimè legislator Justinianus Jus illud ma-  
ritale auxit, dum marito facultatem dedit occidendi illum adul-  
terum, quem suspectum habet, de impudica consuetudine, cum  
sua uxore, si prius trina denunciatione admonitus, ne cum uxo-  
re sua versaretur, & is posthabitis denunciationibus illis, reper-  
tus sit cum uxore, in Domo ejus, sive adulteri, aut in popinis aut  
suburbanis locis, aptis scilicet ad suspicionem turpitudinis. Sin  
autem *maritus* alio in loco, in quo ejusmodi suspicio minimè es-  
se potest, cum uxore versantem illum invenerit, debet eum Judi-  
ci tradere, qui rerum capitalium cognitioni præest vid. *novell. 117.*

*c. 15. in pr. auth. si quis C. de adult. Rittersh. ad novell. part. 12. c. 5.*  
§. 11. Sed an hæc constitutio Justiniani quoad mores  
nostros adhuc in viridi observantia sit, anxie disquiritur? quod  
Negatur ab his, affirmatur verò ab illis. Negantium qui castra  
sequuntur sunt *Gudelinus de Jur. noviss. l. 5. c. 18.* & alii Doctores  
à *Dn. Struvio cit. loc. n. 9.* allegati; Aientes sunt *Molina tom. 4.*  
*tract. 3. de J. & J. Disp. 99. pr. Covarruv. tom. 1. de matrim. p. 2. c. 7.*  
*n. 12. Johan. Zeithopff. qui in Academia Lipsiensi de hac materia*  
*scripsit part. 1. n. 30. & seqq.* quibus addantur *Dd.* quos congeffit  
*Dn. Struve d. l. n. 10.* Nos hanc controversiam utpote à themate  
paulo alienam, indecisam relinquimus, *Benevolung, Lect. ad*  
*Struvii & Zeithopff tractatus,* qui hac de quæstione ex professo  
scripserunt, ablegamus.

§. 12. Diximus in §. 7. maritum, si uxorem in rebus Vene-  
ris inventam, occiderit, non ordinariè puniri, quæritur ergo, *an*  
*hoc etiam procedat, si illam in impudicis osculis deprehenderit?*  
Qui illud affirmant, sequuntur sententiam glossæ in *l. 23. in fin. ff. ad*  
*L. Jul. de adult.* qui verba ista: *in ipsis rebus veneris,* interpretan-  
tur, non tantum de ipso concubitu; sed etiam de præludiis ac  
præparamentis concubitus, inter quæ referunt oscula (quæ à *Kor-*  
*manno in tr. de linea amoris quarto loco ponuntur)* & tactus; ceu  
facit *Jodocus Dambud. in præct. crimin. c. 89. rubr. de adult. n. 18. &*  
*seq.* qui sufficere ait, marito invenire & offendere uxorem & a-  
dul-

G

dul-



dulterum in cubiculo, sese mutuò indecorè & venerè osculan-  
tes. Sed multo rectius & turtius id cum Budæo *ad dict. l. 23. ff. ad  
L. Jul. de adult.* negatur, commodiusque de ipso concubitu in-  
telligitur, quod *Idem ibidem* etiam ex *Cicerone in Topicis* ostendit,  
qui asserit: *aliud esse ipsam rem veneris, aliud antecedentia con-  
sequentiq; veneris.* Quod ipsum quoque luculenter probat addi-  
tum in fine Græcum ἐν ἔργῳ in opere, ergo non in dispositione ad  
opus inventam mulierem sufficit, & in *l. 24. in pr. ibi: in adulterio  
uxoris.* Sic & in *l. 25. pr. ibi: in uxore sua deprehensum junct. l.  
28. §. 8. ff. ad L. Jul. de Adult.* Quæ utique arguunt non sufficere  
hic adulterii præludia; sed insuper requiri obscænam membro-  
rum commixtionem, *Decian. tr. crim. lib. 9. c. 15. n. 15. Covarruv.  
part. 2. de matrim. c. 7. §. 7. n. 3.* Sola itaque oscula maritum non  
excusabunt, cum ejus potestas aliàs hac in re restrictior sit, & o-  
diofa semper sint restringenda *c. 15. d. R. I. in 6.* maritus tamen  
uxorem in præludiis adulterii inventam accusare poterit; cum  
ei conjugem etiam ex suspicione ream facere liceat *l. 30. in med.  
C. ad L. Jul. de adult. c. 4. x. de adulter. Tholosan. Synt. Jur. civ.  
lib. 36. c. 6. n. 7.*

§. 13. Quamvis autem ex antecedentibus sole meridiano  
clarius appareat, uxorem adulteram à marito non esse necandam,  
putant tamen nonnulli, aliter se rem habere, si consuetudo pro-  
betur, quâ etiam viro de uxore supplicium sumere sit licitum. Ad  
quam consuetudinem se refert *Duarenus ad l. 10. §. 1. ff. solut. matr.*  
ubi ait: quod de inveterata in *Italia Germaniag,* consuetudine  
marito vel ipsam uxorem in adulterio prehensam occidere li-  
ceat. De *Italia* idem asserit *Jctorum antesignanus Wesenbecius  
in comm. ad π. ad L. Jul. de adult. n. 20. in fin. & Zasius ad d. l. 10.  
§. 1. pr. ff. sol. matr. n. 6. post medium tradit:* Nostris temporibus no-  
tissimâ consuetudine maritum reddi impunem, qui adulteram  
uxorem in actu prehensam occidit. Singularem quoque consue-  
tudinē, à *Regibus Gallie* usurpari contra illustres fœminas de adul-  
terio suspectas, refertur ab iis, qui istius Regni secreta propius  
inspexerunt, ibi enim recepti moris esse dicitur: ut si maritus  
exploratum habeat uxorem illustri loco natam, adulterio ope-  
am dare, is Regem accedat, ei coram de crimine isto exponat,  
testes



testes adducat, accusationem evincat, tunc verò Regem in favorem familiae, omnem & inquisitionis, & condemnationis processum seponere, Confessionem Reæ non exigere, dare marito læso, suâ manu Venenum aliquod lentum, quod hic uxori propinet, atque hanc ea ratione extinguat, hoc pacto & consuli dignitati familiae, & satisfieri dolori mariti. Videatur Dn. Goeze *moralium P.P. in praedict. publ. ad Enchirid. Grotian. cap. 11. in paralytomenis §. 3.* ubi & in ejus moralitatem inquisivit.

§. 14. Ast, an hæc consuetudines pietati Christianæ convenient, atque ita facultas grassandi in uxorem marito tam facile concedenda sit, meritò, cum *Bachovio & Dn. Habnio ad dict. Wes. comm. ad L. Jul. de adult. n. 20.* dubitamus; siquidem omnis consuetudo rectæ rationi, ceu basi & fundamento inniti debet, hæc enim destitutâ, non tam Consuetudo & usus, quam corruptela & abusus dicenda est, *c. 2. x. de consuet. c. 3. distinct. 8. c. 12. x. de vit. & honest. cler. l. 14. ff. de LL.* Vid. de hac re elegantissime dicentem *Nobiliss. ac Clariss. Dn. Thomam Rademachern Jur. Cand. dignissimum, Cognatum, fautorem atq; amicum meum singulariter honorandum, in suo erudito Exer. Jurid. de Iure consuetudinario, in illustri hac Salana, presidente excellentissimo Dn. Schrôtero habito, cap. 8. §. 1.*

§. 14. Ubi autem ejusmodi consuetudo vel statutum (quod tamen nullibi esse præsupponitur) non habetur, ibi maritus, uxorem taliter occidens, dotem non lucratur, *Berlichius part. 3. concl. 29. n. 13. & part. 4. concl. 29. n. 53. ibiq; citati. Hunn. in resolut. ad Treutl. vol. 2. Disp. 7. th. ult. quest. 61. per d. l. 10. §. 1. ff. sol. matr.* ubi dicitur: hæredibus uxoris dandam esse dotis actionem, cum non sit æquum, ut vir ob facinus suum dotem lucrifaciat. Facinus autem ferè semper, si simpliciter proferatur, sumitur in malam partem pro delicto & crimine *Decian. tr. crim. l. 1. c. 11. l. 6. C. ad L. Jul. de vi. l. 31. in fin. C. de Episc. & Cler.* atqui committit vir etiam, tum facinus seu delictum, si uxorem in adulterio prehensam occidat, quia Jure civili punitur, licet mitius quam alius homicida *l. 38. §. 8. ff. ad L. Jul. de adult.* nec etiam ei succedit *dict. l. 10. §. 1. ff. sol. matr.* nemo enim ex suo delicto præmium reportare debet, *Schneidevv. ad tit. de hæred. que ab intest. def. rubric. de success.*



*cess. inter vir. & ux. n. 24. & talem in foro Saxonico non vigere, adeoque maritum & hic portione ex bonis uxoris alias debitâ privari, arguit sententia Scabinorum Lipsiensium ita concepta: Ist ein Ehemann mit seines Weibes Bruders Weibe im Ehebruch befunden/ und durch der Ehebrecherin Mann / seines Weibes Bruder/ alsbald auff wahrhafftiger That erstochen / und also todt mit Zetter-Geschrey beschriehen worden/ so hat sich derselbe Ehemann dadurch aller Berechtigkeitt / die er in seines Weibes Gütern hätte haben mögen/ verlustig und fällig gemacht/ und hat die fürder auff seine Kinder nicht bringen noch fällen mögen. add. Berlich. d. part. 4. concl. 29. n. 54. & Dn. Richter in cent. Reg. Reg. 82. n. 1.*

§. 17. Coronidis loco observatione dignum occurrit, quod si maritus, qui uxorem suam, quam impensè semper amasse constat, vulnerat, vel occidit, à dolo excusetur. Ita respondit facultas Iuridica Herbipolensis Anno 1660. So liberiret dann den verhaftten Eiberen à poena ordinaria (1) sein furor, dementia vel insania (2) amor erga Conjugem, quam ideo dolosè & ex proposito occidisse non præsumitur, Magnif. Dn. Richter Volum. 2. Consil. 53. n. 32. in qua etiam causa pronunciavit Collegium Iurid. Ienense uti videre est ex ejusdem Volum. 1. p. 5. conf. 9.

## SECTIO SEXTA ET ULTIMA

### Jura maritorum in Judicio pertexit.

§. 1. *Supra sect. 3. §. 1. Dividebamus Jus nostrum cum Magnif. Dn. Struvio in Synt. Iur. civ. Ex. 1. th. 45. in Cognoscendum & persequendum; cum verò hucusque de priori membro egimus, restat ut etiam de altero nonnulla dicamus.*

§. 2. Persequimur Jus nostrum, & id quod nobis debetur vel deberi speratur, per facultatem nobis Jure civili competentem, & certa media constituta, nimirum per *Judicia seu Processum Iudiciarium.*

§. 3. Quoniam verò in Judicio palmaria solet esse questio de *fori competentia*, proinde ante omnia dispiciendum, quale *Ius marito* ratione hujus comperat, & sciendum *mulieres non habere forum, sed si Judicialiter conveniendæ sint, ex maritorum suo-*



suorum persona illud fortiri *l. 65. ff. de Iud. l. pen. in pr. ff. de Iur. iur. Dn. Praeses in Diff. 21. a. 14. in fin. Dn. Schnobel. Disput. Pand. 5. th. 10.* idque per constitutionem Imperatorum *Valentis, Theodosii & Arcadii in l. ult. C. de incol. lib. 10.* ita dispositum est; quod procedit, siue privilegium mariti habeant siue non. *Bernhard. Schotan. in exam. Iurid. p. m. 237. ibiq. Nobiliss. ac Consultiss. Dn. Iohan. Frider. Georgi I. U. D. ac Cur. Prov. Saxon. Advocatus in Coll. priv. imò uxor gaudet foro mariti, non tantum ratione Contractuum durante matrimonio contrahendorum, sed etiam ante matrimonium contractorum, uti hoc ampliant Dd. per l. 7. ff. de Iudiciis* quam productionem ipse ex ore *Nobiliss. atq. Consultiss. Dn. Statti Herbordi von Wintheim, I. U. D. & Cur. Provinc. Sax. Ienenfis Advocati ordin. famigeratissimi in Discurs. priv. process. ad tabell. Belitz. 2. percepi.*

§. 4. Privilegium *fori* excipit *Domicilium*, quod aliàs competentiam *fori* tribuit, & is demum constituere potest, qui animum perpetuò in loco consistendi habet, cujusque in arbitrio est, habitationem quocunque velit loco instituere. Cum verò *mulier* non possit seperatim habitare à *viro*, sed *mariti* habitationem obsequiosè sequi teneatur, ac perpetuo *mariti* Consortio sit addicta. Hinc *ipsa* per se non habet *Domicilium*, sed quo ipso *uxor* per matrimonium exit è familia patris, eo ipso transit in familiam & domum *mariti* hujusq; *domiciliū* sequitur *l. fin. §. 3. ff. ad munic. Domus enim mariti est Domicilium matrimonii l. 5. in fin. ff. de rit. rupt. l. 6. C. de donat. ante nupt. Husanus in tr. de hominib. prop. c. 5. n. 48. Magnif. Dn. Richter. in Volum. Decis. p. 1. Dec. 9. n. 4.* & individua illa vitæ societas non permittit, ut aliud uxoris aliud mariti sit *Domicilium l. ult. C. de incol. lib. 10.* in tantum autem *mulier mariti Domicilium* sequitur, ut jus originis omittat *l. un. C. de mulierib. in quo loco munera &c. in lib. 10. Azo in C. n. 6. Dn. Struve Ex. 9. th. 18. in fin. nec potest in terra sua originali conveniri Bald. in rubr. ff. solut. matr. Inde est, quod mulier maritum mutantem Domicilium sequi teneatur Hilliger in Donell. enucl. l. 13. c. 21. lit. m. & si mulier dotem repetere velit, Domicilium & forum mariti adire cogatur, non attento loco, ubi promissio facta, aut Dotale Instrumentum est conscriptum *l. 65. ff. de Iudiciis ibiq.**



Gothofr. in notis lit. C. Dn. Bruunem. ad dict. l. un. C. de mulier. in quo & c. Rittersb. part. 9. c. 10. n. 49. Nec enim dotis promissio id genus Contractus est, in quo locus contractus attendendus sit, cum mulier per ipsam conditionem matrimonii, (sine quo dos non est, l. 3. l. 7. l. 39. l. 48. l. 68. ff. de Iur. dot. l. ult. vers. quare C. de donat. ante nupt. Magnif. Dn. D. Richter Facult. Jurid. Ordinarius venerandus in Gent. Regul. Reg. 91. n. 7. ubi & præjudicium Lipsense addit) ad Domicilium mariti trahatur, & dos sit sequela & pedissequa matrimonii, quod consumatur in Domicilio mariti Bald. in d. l. 65. Rittersb. cit. l. nec huic sententiæ refragatur l. 42. ff. de Iudic. ubi dicitur: quod dos matrimonio per divortium soluto repeti debeat Romæ, in loco Divortii non autem in Domicilio mariti, etiamsi maritus sit legatus Resp. in opposita L. deprehendi casum specialem: nam diversissima est ratio inter dissolutionem matrimonii, quæ fit per mortem, & quæ per divortium: Morte soluto matrimonio, mulier repetit dotem in loco ubi maritus habuit domicilium d. l. 65. Divortio verò soluto etiam uxor alibi repetere potest d. l. 42. ratio videtur esse odium divortii, quod facit, ut maritus pluribus locis teneatur, Rittersb. d. l. n. 50.

§. 5. Et hoc axioma *Da.* etiam extendunt ad viduam, quippe quæ quamdiu permanet in viduitate, sequitur forū & Domicilium sui defuncti mariti l. pen. ff. de Jurisd. l. fin. C. de incol. lib. 10. etiam illud, quod maritus ex Privilegio habuit, vidua retinet l. 22. §. 1. ff. ad municip. Gilhaus in arb. Iud. c. 1. p. 2. §. 2. n. 10. Magnif. Dn. Præses, magni nominis Jctus, in Diss. 21. tb. 14. Vidua enim repræsentat imaginem & Jus defuncti mariti Bald. in l. 11. ff. de pign. act. n. 2. censetur esse de familia & Domiciliis mariti, atque adhuc in primo matrimonio vivere reputatur l. fin. C. de bonis matern. Imò vidua prioribus nuptiis putatur insistere novel. 22. c. 20. §. 1. Petr. Frider. Mindan. in tr. de contin. caus. l. 3. c. 19. n. 41. B. Carpz. I. P. F. S. p. 4. c. 27. d. 4. n. 7. nisi forte ex pluribus Domiciliis unum in certo elegerit loco, ac ibidem cum familia habitet, tenendo focum & ignem, Jure forsan *dotalitii*, certo in prædio aut loco sibi constituti Carpzovius lib. 2. Respons. Resp. 24. n. 19.

§. 6. Premittitur tamen assertum illud suis fallentiis, non enim



enim hoc foro gaudet illa uxor, cum qua quis illegitimè cohabit-  
tat, l. 37. §. 2. ff. ad municipal. Azo in summ. C. de incol. n. 9. neque  
hujus privilegii particeps fit ea, quæ desponsata tantum est, illa  
siquidem adhuc Domicilium suum retinet l. 32. l. 37. §. 1. ff. ad mu-  
nicip. l. ult. §. 3. eod. Zanger. tr. de except. p. 2. c. 1. n. 61. Magnif. Dn.  
Præses in d. Diss. 21. th. 14. in fin. Schönborn. l. 1. pol. c. 5.

§. 7. Sed quid, si post nuptias celebratas domum & bona  
mulieris intret wenn der Mann zum Weibe einfreyet oder zu ihr  
einfähret, uti sæpius fieri consuevit? tunc retinet quidem prius  
Domicilium uxoris, nihilominus tamen rectè dicitur, quod sequa-  
tur Domicilium mariti, utpote qui facto & voluntate suâ Domi-  
cilium ibi constituit Zanger. d. tr. p. 2. c. 1. n. 65. Dn. Mevius l. 1. tit. 1  
art. 11. n. 5. Dn. Carpzovius in Process. tit. 3. art. 1. n. 19. cum maritus  
in uxoris forum nunquam sequatur, etsi in domum ipsius transeat  
Magnif. Dn. Præses sæpius cit. l.

§. 8. Sequitur Citatio, quæ est fundamentum & princi-  
pium Judicii §. fin. Inst. de pæn. tem. litig. B. Ungebauer Ex. 16. q. 3.  
in ajo. Circa quam notari meretur, quod nova nupta, quando  
sc. solemniter nuptiarum celebrat non possit in Jus vocari (sive ut  
hodiè sublato Juris & Judicii discrimine loquimur Bachov. ad tit.  
de in Jus voc. B. Dn. Franskius ibidem) citari, l. 2. vers. præterea ff. de  
in Jus voc. Sed an mulier nupta, quæ moribus nostris maritum  
Curatorem habet, ipsamet ad Judicium Citari queat, an verò mari-  
tus necessariò Citandus sit, lis est inter Dd.? Paulus Busius Consul-  
tus à Judicio Bornensi de hoc casu, ipsam mulierem citari non in-  
eptè videtur respondisse in Comm. ad Pand. ad l. 1. §. 5. n. 5. ff. de po-  
sul. idque argum. hujus textus. Alias citatio vel denunciatio re-  
ctè pro uxore fit marito per l. 5. §. 3. ff. quod vi aut clam; tum quia  
maritus quasi Procurator uxoris est, l. 21. C. de Procur. tum quia  
id quod maritus scit, & uxorem ejus scire præsumptio est; at è  
contrario citatio vel denunciatio pro marito, uxori ejus fieri ne-  
quit: quia citatio ad hoc inventa est, ut pars rea sese defen-  
dere possit; certissimum autem est maritos non per uxores,  
sed potius uxores per maritos tutari debere, l. 2. ff. de in-  
jur. tum quia mulier non satis percipit à quo, & ad quid citetur  
maritus, vel quid ei denuncietur, atque ita putant Hieron. Treut-  
lera



*ter. vol. 1. Disp. 4. th. 4. lit. C. Myns. cent. 3. obs. 37. n. 2. & seq.* adeo ut ex citatione *mariti* in personam *uxoris* facta *maritus* haud possit condemnari, ut contumax *Myns. d. l. n. 7.* quod tamen moderantur *Dd.* nisi ea citatio in personam *uxoris*, in domo habitationis *viri* facta, & simul *uxori* copia tradita fuerit, ac insuper non agatur de gravi *viri* praedicio, verosimileque sit citationem ad notitiam vel aures *mariti* pervenisse *Myns. d. l. n. 8.* Illico *Ummius Disp. ad Process. Judic. 5. th. 11. n. 62.* Verum utriusque, *uxori* scilicet & *marito* denunciationem fieri oportere magis verum existimat *Job. Stephan. Lamberteng. de contr. mul. in fine n. 226.* ubi etiam ita aliquando se consuluisse & obtinuisse disertè scribit.

§. 9. *Citationis effectus & finis* est ipsa comparitio, *Rosbach. in Process. civ. tit. 22. n. 8.* mulier quaecunque citata comparere tenetur in Iudicio sive per se, sive per alium, *per tex. in nov. 134. c. 9.* Cum verò *moribus* nostris, praepriis autem *Saxonicis, Brandenburgensibus, Würtembergicis ac Lubecensibus*, mulieres indistinctè non habeant legitimam personam standi in Iudicio, consequens est quod nec citari queant, sed si *mulieres* citandæ sint, *mariti* tanquam curatores conjugales sunt citandi, ut illi in Iudicio *uxoris* nomine compareant, intentionem actoris percipiant, & mulierem defendant, *Dn. Hahn. ad Wes. de in Ius voc. n. 5.* praeterea etiam *uxores* absque autoritate & consensu *mariti* in Iudicio sisti nequeunt *Bodin. de Repub. l. 1. c. 3. ferme in fin. Gudel. de Iur. noviss. l. 1. c. 7.*

§. 10. Quod si jam *maritus* nomine *uxoris* comparens litem suscipiat, disquiritur an eam agendo absque speciali mandato prosequi possit? Indistinctè quidem hoc affirmat cum allegatis *Dd. Dn. Belitz. in tabell. process. tab. 3. q. 9. per l. 21. C. de Procur.* verum distinctius & explicatius id asserendum esse putamus cum *Dn. Wintheim in all. discurs. priv. ad d. tab. 3.* nimirum probè attendendam esse receptam distinctionem inter *res dotales, paraphernales & receptitias*: quoad *res dotales*, cum illarum durante matrimonio plenarius *maritus* sit Dominus per *l. 3. C. de Iur. dot.* maximè quoad actiones movendas *l. 9. C. de Rei vind.* ibique *Dn. Brunnem. junct. l. 5. C. de Iur. dot. Hilliger ad Donell. l. 18. c. 12. lit. l.* proinde etiam ratione exercitii harum actionum *maritus*



ritus non tenetur de rato cavere, neque etiam ullo opus habet mandato *Bart. in l. 21. C. de Proc. Dn. Schröter in Res. diffic. Leg. Cod. ad d. l. 21. maritus enim respectu harum super proprio Jure agit.*

§. II. Idem dicendum venit de bonis *paraphernalibus*, quorum *maritus* est legitimus administrator, ita, ut etiam sine mandato de his agere & conveniri possit, *l. fin. C. de pact. conv. Mynsinger ad §. 19. Inst. de excus. tut. n. 3. in fin. & cent. 3. obs. 53. n. 4.* præsumitur enim maritum mandatum habere, ad petenda *paraphernalia* ex Instrumentorum traditione, propter individua vitæ & animorum in conjugibus conjunctionem *l. 1. ff. de rit. nupt. Colerus de process. exec. p. 2. c. 2. n. 66.* Hinc in Camera Imperiali si maritus prosequatur litem aliquam *nomine uxoris* tanquam administrator ipsius *als ein Ehevogt* tunc speciali mandato, ab ipsa *uxore* non indiget, quemadmodum ita in *Causa Christophori de Arnheim* contra Ducem Megapolitanum judicatum fuisse testatur *Joach. Mynsinger dict. o. 53. n. 2.* Sic quoque in *Sereniss. ac Potentiss. Electoris Brandenburgici &c. Domini mei clementissimi & Magnifici Magistratus Susatensis Dicasterio, maritus*, ceu legitimus administrator rerum uxoris atque Curator conjugalis *als ein Ehevogt* vel in *Ehevogts Nahmen* pro uxore sua comparens, sine speciali mandato admittitur, prout praxis quotidiana id satis evincit.

§. II. Secus autem se res habet *in bonis receptitiis*, siquidem in illis *maritus*, non nisi sub cautione rati admittitur, præstitâ autem hac cautione, *maritus* nomine uxoris etiam absque speciali mandato in *Judicio* agere litemque prosequi & à sententia *Judicis primæ Instantiæ* ad superiorem appellare potest *l. 21. C. de Proc. Bronchorst. 1. Miscel. assert. 27. Bart. Bald. Sichard. & novissimè Dn. Brunneman. ad d. l. 21. & de hisce etiam Belitzii supra cit. qu. 9. intelligendum esse autumo cum Dn. Wintheim. Verum asseverationem illâ non procedere in *receptitiis* marito nō traditis, innuit *Mynsing. dict. loc. n. 5.* quanquam hodie contrarium receptum esse, & tam in *receptitiis*, quam *dotalibus & paraphernalibus* bonis *maritum* absque speciali mandato admitti velle videatur *Paulus Matth. Webner. in observ. pract. lit. E. verb. Ehemann/ Ehefrau §. quoad illam clausulam* ubi indistincte anno 1575. in *Causa**

H Rutger



Rutger Schumachers und Johan Zorns wegen ihrer Hausfrauen/  
contra Clausen zum Hane/ Judicatum refert. v. Schultz in Synops.  
de exc. lit. B. Notandum hoc loco marito procuratorem agente,  
quod specialis ratio sit in eo, ut etiã sine mandato pro uxore, dum-  
modo de rato caveat, agere possit l. 21. C. de Procur. maritus e-  
nim est legitimus administrator rerum uxoris atque curator.  
Conjugalis vulgariter Ehevogt uti à Gail. appellatur lib. 1. o. 133.  
n. 1. add. Nobiliss. Dn. Eisman/ J. U. Ddus, fautor ac primus meus In-  
stitutionum Præceptor fidelissimus in Dissert. Inaugur. de amore  
c. 6. §. 2.

§ 13. De Jure Saxonico indistinctè absque respectu & Dif-  
ferentia bonorum *maritus* in Judicio experiri nequit, nisi vel cau-  
tionem rati præstiterit, vel etiam mandatum sive curatorium ex-  
hibuerit, teste B. Carpzovio in Process. tit. 5. art. 6. n. 31. ac licet  
quoad Dispositionem *Juris Saxonici*, *maritus* suæ uxoris curator  
legitimus sit Landr. l. 1. art. 31. & 45. & Weichbild art. 65. attam-  
en Saxonum moribus receptum est, ut *maritus* uxoris nomine  
litem peragendam suscipiens, non audiatur, nisi vel curatorium  
exhibeat vel de rato caveat. Berlich. part. 2. concl. 16. n. 13. Schultz.  
in Synops. de except. lit. b. non enim curatela Saxonica die ehe-  
lige Vormundschaft Jus agendi operatur, B. Carpz. J. P. F. S. p. 1.  
c. 1. d. 31. exhibito autem curatorio, *maritus* admittitur, licet à  
muliere non sit subscriptum Dn. Winthheim d. disc.

§ 14. Quid autem, si uxor maritum suum Judicialiter  
coram Judice Procuratorem constituat, ipsique causam & litem  
demandet, wenn sie ihme gerichtliche Vollmacht gibt/ und ihre  
Sache demselben auffträgt / an nihilominus alio curatore opus  
habeat: Doctores certant & adhuc sub Judice lis est. Horat. de ar-  
te Poët. Negantium opinionem defendit Berlichius cum citatis  
Dd. p. 2. concl. 17. n. 47. Veruntamen nos Carpzovii sententiam  
p. 1. c. 1. d. 32. ut veriolem & certiolem, ita & in foro Saxonico  
receptiolem amplectimur, siquidem indubitati *Juris Saxonici* est  
mulierem non habere legitimam personam Standi in Judicio l. 1.  
Landr. art. 44. neque ullum actum in Judicio sine autoritate  
Curatoris expedire posse Const. Elect. 15. & 16. unde quomodo  
quæro mulier marito suo litem demandare potest? Sicuti enim  
mi-



minores per se ad litigandum sunt inhabiles l. 2. C. qui legit. pers. stand. in Jud. nec procuratorem sine curatore ordinare valent, l. 11. l. 14. C. de procur. ita quoque mulieres sine interventu curatorum litem vel causam maritis suis demandare prohibentur: quod etiam placuit Sereniss. Electori Sax. in ordin. process. Jud. tit. 8. in pr. & certè quâ facilitate induci potest mulier ad litigandum, eadem etiam induci potest ad constituendum maritum suum procuratorem Carpz. d. l. ubi & ita Scabios Lipsienses pronunciaffe refert. Illud observatione dignum est, quod maritus, si mandatum ab uxore susceperit, ejus fines, licet maritus sit, excedere nequeat, l. 21. C. de procur. Harprecht ad §. ult. n. 6. Inst. de iis per quos agere poss.

§. 15. Dicta tamen assertio quod mulier non habeat legitimam personam standi in Judicio insignem patitur eclipsin in Causa criminali, in illa siquidem utique absque autoritate mariti in Judicio se sistere tenetur, nec curator ejus vel procurator admittitur, ne Judicium reddatur illusorium, si non in caput accusatæ mulieris sententia ferenda sit, l. 2. C. de cust. reor. l. 2. C. de exb. rei. vid. Carpz. qui d. l. integram de hac re exhibet definitionem 33. add. ejus prax. crim. p. 3. q. 105. n. 61.

§. 16. Cæterum cum moribus nostris mariti sint curatores conjugales Eheliche Vormünder suarum uxorum, uti dictum §. 9. Hinc nullum actum Judiciale sine autoritate eorum exercere mulieres possunt, sive enim suscipiant probationem, sive deferant Juramentum, sive producant Instrumenta; sive restitutionem in integrum petant, sive querelam nullitatis instituant, sive quicquid etiam Judicialiter faciant, regulariter mariti sui autoritas & consensus requiritur: Est enim absurdum illi, cui alienatio interdicitur, permitti actiones exercere, Judiciis interesse ibique litigare, maximè cum constet, Ulpianum Judicium quasi contractum salutare, in l. 3. §. 11. ff. de pecul. Wesenb. in π. de Judic. num. 15. Ideoque ut tutò hanc regulam loco Colophonis hic constituere liceat: mulieres nempe sive in Judicio sive extra Judicium agentes & contractantes, absque autoritate & consensu mariti, tanquam Curatoris



toris conjugalis, agere nihil quicquam de moribus totius ferme Germaniæ posse.

### *Postludium.*

Sed hæc quidem non pro materiæ nobilitate, sed instituti & temporis ratione, in præsentiarum ex confusa & difficili hac materia delibata sufficient. Inficias ire nullatenus possum, plura ac meliora dici potuisse, forsan etiam debuisse, sed & accuratorem esse decuisse. Ast, quoniam saltim Disputationem, non integrum tractatum, exhibeo: Benevolus Lector hunc qualem qualem laborem in optimam partem interpretari velit, & si fortean non omnia ex Apollinis tripode dicta fuerint, (*omnium enim habere memoriam, & penitus in nullo peccare, divinitatis magis quam mortalitatis est, juxta illud Justiniani in §. 14. de confirm. ff. Ad Senat. & in l. 2. §. 14. C. de V. J. E.*) tunc moneat B. L. corrigat, & informet, sed placidè & sine affectu, moniti meliora sequemur, interea sit.

Laus & gloria supremo mariti & uxoris Creatori ac conservatori in Sempiterna Secula.

•••••  
**FLORES NONNULLI EX VARIIS JURIBUS DEPROMPTI ET COROLLARIORUM LOCO ADJECTI.**

#### **Ex Jure Divino.**

- I. Jus Divinum forense reformari quidem potest, sed non absolute tolli.*
- II. Consensum parentum ad matrimonium liberorum de Jure Divino non esse necessarium, putat Bellarminus in libr. de matrim. tom. 3. c. 19. lit. G. Contrarium tamen cum Magnif. Dn. Musæo in prælect. publ. in loc. de conjug. propugnamus.*
- III. Isrælitæ Ægyptiorum vasa aurea & argentea secum asportantes, furtum haud commiserunt.*

#### **Ex Jure Naturali.**

- IV. Jus naturale adeò est immutabile, ut ne à Deo quidem mutari queat.*

II. Sub-



V. Subditi per Jus natura Imperantem majestatis splendore exue-  
re, eumq; è fastigio Imperatorio dejicere nequeunt, quicquid  
etiam blateret Miltonius.

VI. Si puerpera simul atq; foetus conservari nequit, matri potius  
de Jure Natura est consulendum.

### Ex Jure Gentium.

VII. Jus Gentium, licet aliquando in hac vel illa Republica restrin-  
gatur, manente tamen eodem statu atq; attentâ communi uti-  
litate & necessitate, mutationi non videtur esse obnoxium.

VIII. Legati sunt inviolabiles.

IX. Ut bona subditorum ex facto superioris obligentur, Jus Gentium  
introduxit.

### Ex Jure Civili.

X. Jus Civile quamvis non facilè sit mutandum, mutationem verò  
evitare vix potest.

XI. Litigii serra anxie reciprocatur inter Dd. An Injuriatus ad palino-  
diam & estimationem injuriarum simul agere possit? Neg.  
B. Carpz. J.P. F. S. p. 4. c. 42. d. ult. Affirmativam amplecti-  
mur cum Magnif. Dn. Richtero in centur. Regul. reg. 2. n. 43.  
& seqq. quæ sententia etiam in Camera Imperiali practicatur,  
attestantibus Cameralistis Geil. l. 1. o. 65. n. 5. ac Myns. cent. 4.  
o. 98. n. 10. & in Dicasterio Susatino recepta.

XII. Opinionem illam, Codicem derogare Pandectis, diu sepultam, de-  
nuò resuscitavit & speciosis rationibus consolidavit Dn. Brun-  
nem. in Comm. C. ad Const. de emend. Cod. Nos tamen nega-  
tivam tuemur cum Magnif. Dn. Preside in prel. publ. Cod. ad  
dict. Const.

XIII. In conditione causa data causa non sequuta, in casu, quo defun-  
ctus non pœnituit, transmissibilem esse pœnitentiam ad haredes  
censent Jason. in l. 5. pr. ff. de condict. caus. dat. & Cludius tr.  
de condict. ob causam dat. c. 3. n. 51. Contrarium verius esse  
putamus cum Magnif. Dn. Schrötero in prel. publ. ad Comm.  
Wes. dict. tit.

XIV. Bachevius ad Wesenb. de hared. pet. n. 2. vult. Ius hereditarium  
nihil aliud esse, quàm figmentum Dd. & Chimeram quandam



*in aere volitantem: Nos cum Magnif. Dn. Beckmanno in recitat. publ. ad Seriem Dig. Jacob. Gothofred. dict. tit. illud reverà Jus esse dicimus.*

**XV.** *Nodosa est questio, cum à Philosophis, tum Critis ad superstitionem usq; ventilata, an Jus natura competat Brutis? Aff. id Corasius de arte Jur. part. 2. c. 3. Negamus verò cum Pranobiliss. Dn. Falcknero in prel. publ. ad Dissert. Suthold. 1. aph. 46.*

### Ex Jure Feudali.

**XVI.** *Jus Feudale, quamvis sit in scripturam redactum, non tamen desinit esse consuetudo.*

**XVII.** *Ad quem spectet thesaurus in fundo feudali invento, est questio altioris indaginis? Dn. Struve in Synt. Feud. cap. 12. aph. 5. n. 1. illum Vasallo adjudicat: Nos cum Magnif. Dn. Praeside ad π. Diss. 6. a. 33. Domino assignamus.*

**XVIII.** *Disquiritur inter Feudistas, An molendina navalia quoq; sint materia habilis constituendi feudum? Neg. B. Carpz. I. P. F. S. p. 3. c. 24. d. 8. Aff. Jenenses Magnif. Dn. Struve in praedict. Synt. c. 6. aph. 11. n. 6. & Nobiliss. Dn. Schröter Disp. ad tit. 1. l. 2. F. textum sciendum lit. b. n. 3. cum quibus nos facimus.*

**XIX.** *Graviter inter Theoreticos & Practicos controvertitur, An in feudis foemineis, masculus semel admissus, & hoc modo foemina semel exclusa, perpetuò censeatur exclusa? Affirmatur à communi Dd. schola: Nos verò cum excellentiss. Dn. Beckmanno in recitat. publ. ad Synops. Feud. Ludwell. Castra negantium sequimur.*

### Ex Jure Publico.

**XX.** *Jus publicum in Academiis tractare & necessarium & utile est.*

**XXI.** *Brocardicum illud publicistarum; Principem in suo territorio tantum valere, quantum Imperatorem in universo imperio ein teglicher Fürst sey Kaiser in seinem Lande, quidam in dubium vocant, quidam, ut Paurmeisterus de Jurisdic. c. 4. n. 70. falsitatis penitus damnant, Nos cum Magnif. Dn. Praeside in Inst. Juris publ. lib. 1. tit. 14. §. 9. illud procedere asserimus.*

**XXII.** *Distinctionem illam inter summitatem & plenitudinem Imperii,*



rui, à Dn. Strauchio in Exotericis suis p. 119. propositam, tanquam satis accuratam, adhuc cum ipso defendimus in prædict. Inst. lib. 1. c. 4. §. 5. & seqq. quicquid etiam dicat Dn. Stamlerus in tr. de reserv. Imperat. §. 8. n. 7. Dn. Burgoldensis in tr. de notitia Imper. part. 3. Discurs. 5. p. 47. & Pacificus ille lapis in notis ad Monzanbanum p. 568.

XXIII. Bannum ferinum seu venationem superiorem, die hohe Jagd (qua aliàs à Dd. inter regalia minora refertur) Susatenses etiam in districtu Colloniensi de Iure exercent.

### Ex Jure Canonico.

XXIV. Ius Canonicum apud nos, non ex Pontificis præcepto, sed ex usu quatenus voluntarie receptum Iuri civili in certis materiis prævalet.

XXV. Ex nudo pacto de Iure Canonico dari actionem statuunt plurimi ex Neotericis: Nobis autem contraria Magnif. Dn. Præsidis in Diss. 12. ad π. aph. 10. sententia arridet.

XXVI. Computationem Graduum canonicam, apud nos in matrimonialibus receptam, ceu absurdam rejiciunt Sithman in Idea arbor. conf. c. 3. & Sutholt. aliàs acutissimus ICTus in Diss. 12. aph. 33. Nullius verò absurditatis eam arguendum esse cum Magnif. Dn. D. Struvio in Synt. Iur. Civ. Ex. 29. th. 44. putamus.

XXVII. Personas Ecclesiasticas à præstatione Homagii esse liberas, censet Pontificiorum cohors: Contrarium defendimus cum Magnif. Dn. Schrötero in præl. pub. ad Comm. Wes. de Iurejur. n. 5.

### Ex Jure Consuetudinario.

XXVIII. Consuetudo vim legis obtinet.

XXIX. Consuetudo ne Chirurgorum, Textorū & aliorum filii in Collegium opificum recipiantur, in multis locis recepta, tanquam irrationabilis meritò à Republica Patria est proscripta.

XXX. Consuetudinem de probatione, per aquam frigidam von der Wasser Probe, quam nonnulli intrepidè toti Westphalia adscribunt, non ubivis hodiè frequentari, asserere non erubesco.

Haut



**H**Aut pigeat solidos Juris Iustrasse recessus,  
Pulchram doctrinam næ fatis inde probas.  
Gratulor insignes operæ studii que profectus,  
Perge tuæ patriæ, perge prodesse tibi.

*Ita ex animo gratulatur cum voto omnigenæ  
felicitatis*

**Christoph. Philip. Richter / D.**  
Com. P. C. Fac. Jur. Ordin. & P. P.

**P**Lurima lecta tibi, & tibi quæ sunt plurima  
lecta

Judicii librâ sunt bene pensâ tui.  
Lecta, subacta, bonoque in lumine posta,  
diserto

Ore tueris, age, hinc civica digna datur.

*Gratulabundus*

**P R Æ S E S.**

**F**alcem cum fundi cultor supponit aristas  
Maturis, Themidos femina larga jadis,  
**I**NNUPTAM perhibens, æquissima JURA MARITI,  
Quo simul ostendis quid Tua Musâ queat.  
Pergere ne cesses, nam pleno copia cornu  
Inde Tibi veniet, quam Themis alma feret.

*Benivolentia testanda causâ cum voto omnigenæ  
prosperitatis hac adponeb.*

**Ernestus Fridericus Schröter /**  
J. C. & Antecessor ac h. t. Fac. Jur.

Decanus.

Dum



**D**Um Tibi *Salanam* Themidem cum laude  
*maritas,*

Ipsa Tibi, voveo, præmia summa duit.

*Per-Eximio Dn. Autori amicâ m. & m. gratulab. scrib.*

**Johann-Volk. Bechmann/ D.**  
& Antecessor.

**Q**uam Vigili dextrâ nodosa Volumina Juris  
Scrutatus fueris, monstrant tua lemmata rara!

Queis calcas rursus Themidos subsellia dicens;  
*Conjugis in Sociam quæ sit de Jure Potestas.*

Pergas: pensabunt *Themis* alma *Venusq;* labores  
Nymphâ dotosâ, ut veniat sic aurea praxis.

*Per-Eximio Dn. Respondenti J. U. Studio-  
sissimo Fautori, Amico & Auditori suo in-  
defesso hisce gratulari voluit*

**Stab Harbord von Bindheim/ D.**  
Cur. Prov. Sax. Adv. Ordin.

J. J.

*Nobili atque præclarè Docto*

**DN. M E N G E N I**

Amico meo sincerè dilecto, Fautori honorando S.

**I**n caput uxoris dum solvis *Jura Mariti*  
Insignis specimen porrigis ingenii.

Gratulor hinc merito, paucisque hoc accino *Votum;*  
Intemerata *Themis*, Te super astra vehat.

*Omnigenam Doctrina copiam, virtutum pietatis maximè  
& modestia affluentiam gratulor, studia ex merito  
estimantes adprecior Patronos*

**Adrianus Beier, D. & Cur.**  
Prov. Sax. Advoc. Ordin.

*Jura*





**J**ura Maritorum dicis. Quis? Jura Mariti  
Affectas. Quæris: quæ mihi sponsa? Themis.  
*Hæc Præstantissimo atq; Clare Docto Dn. Respond. Fautori  
& amico suo perquam dilecto gratulab. scrib.*

**Johan. Frid. Georgi, D.**  
Cur. Prov. Sax. Advoc. Ordin.

**P**ulchrè Maritasti Themidem tibi, Jura Mariti  
Doctè hinc exponis, pulpita jam repetens.  
Gratulor his studiis: tu felix Jure Mariti  
Uttere, & uxoris ritè bonis fruire.  
*Hisce Clarissimo Dn. Mengen/ LL. Cult. solertissimo  
promptitudinem suam exhibere voluit*

**Heinricus Linc/ D.**

**N**on loquar unde suum Carsania poscere possit  
Jus; quoniam hoc dudum reddidit ampla Themis.  
Uxores Veneror, fateor, sed Jura Mariti  
Frangere detrecto: sit pia cura mihi!  
Hæc tecum Volvens surgis, Clarissime Menge!  
Tentando Cathedram: spiret Jova bonum!  
*Clarissimo Domino Autori Fautori certissimo scribeb.*

**Johannes Georgius Simon, D.**

Madrigal.

**E**n kluger Geist will nicht bey'm Pöbel stehen/  
Bemühet sich den Ruseberg zu gehen/  
Und schwingt sich Himmel auff.  
Er gibt alsbald am Tag  
Was sein Verstand und sein Gemüch vermag.  
Ob schon den matten Leib oft rauhe Dörner stechen  
So scheut Er doch Sie nicht die Rosen/ abzubrechen.  
Auch Euch/ geehrter Freund!  
Wird einstens Euer Fleiß noch bringen  
A'streen Ehren Lohn:

Wann



Wann Sie mit einer Kron  
Wird Euer kluges Haupt umschlingen.

Dieses sehere dem Herrn *Autori*, als ihrem wertheften  
Tischgeliede/ theils gebührend Glück zuwünschen/  
theils ein schuldiges Wohlwollen zu bezeugen/ mit  
zwar schlechter/ doch williger Feder auff

Tit. Hn. Bürgermeister Marquards/

**Sämtliche Tischgesellschaft.**

**O**ptima fautorum pars & bene fida meorum,  
Quos mihi *Sallaidum* fata dedere solo:

*Mengi*, Castalidum lux, cui facundia lenis

Spirat, & ingenii Judicii que vigor.

Te Deus & Musæ, Te semper honoribus almæ

Ornabunt; *Patriæ* sic quoque lumen eris.

*Ita Nobilissimo Dn. Mengin/ Amico suo, Fautori ac Con-*  
*terraneo mellitissimo avrogediaw ludebat*

M. Johan. Fabricius, Lippia-Guestph.

Ampl. Facult. Philos. Jen. Adjunctus.

**Z**ht führt Herr Menge aus der Ehemänner Recht/  
Und leat es öffentlich hin zu der Themis Throne.

Wer weiß/ ob Syrie nicht windet eine Krone?

Diß Recht erheischt das Werck: Die Worte sind zu schlecht/  
Seinem werthen Gönner und gewesenem Tisch/  
genossen schriebs

M. Christian Hoffmann/ Breslauer/ der

Wohlöbl. Philos. Facult. Adjunctus.

**E**s ist der Männer Recht ein trefflich alt Gesetze/  
Das seinen Anfang schon im Paradies bekam/  
Da Gott der erste Frau di Nacht zu herschen nam/

Weil Hoffart si verlockt in di gestelten Neze.

Zwar mancher den bisher in dise Herrschafft kommen/

Hat seines Rechtes Lauff etwas zu hoch gelenkt/

Manch furchtsamer hat auch zu weilen was verschent/

Wei



Wenn Er vor einen Stab di Spindel angenommen.  
Dir aber sezzet Er di recht gemäßen Schrancken/  
Da weder Mann noch Frau etwas zu vil geschicht.  
Mein Freund/ es ist nicht ohn das Er sich so bemüht/  
Ihm werden Mann und Frau vor seine Arbeit dancken.  
Glückwünschend schrib dises seinem hochgeehrten Hn.  
Landesmanne und wehrten Freunde.  
Melchior von Deginck/ von Dortmund  
aus Westphalen. B. X. B.

**T**endimus huc omnes, metam properamus ad unam;  
Et voti & vitæ est ultima meta, torus.  
Blanda torus res est, Mulier si Jura Mariti  
Auget, & Attalycis dotibus illa beat.  
Has tibi nunc dotes voveo, Clarissime Menge  
Inque torum veniat bella puella tuum.  
*Sic nobilissimas Ingenii dotes Clariss. Dn. Autoris Fav-  
toris & amici sui lectissimi excipere, easq; Reipub. Pa-  
tria indulgentissimè gratulari voluit*

M. Heincr. von der Litz/ Verd.

**E**in Kunstbeliebter Fleiß und Himmlische Gedancken  
Geehrter Landesmann/ sind bisher in den Schran-  
cken

Der Tugend stäts geweest; Es folgt dein kluger Sinn  
Nur disen Leit-Stern nach/ daß alles zum Gewinn  
Des Vaterlandes gescheh. Drumw wird dir schon gebauet  
Ein Ehrenpforte hi/ davon di Tugend schauet

Dein unumschrenckten Fleiß. Glück zu dem Vater-  
land/

Das durch Herr Mengen wird Ruhmwürdig hi bekant.  
Hiemit haben ihrem hochgeehrten Herrn Landesmann  
schuldiast auffwarten wollen

Sämtliche daselbst Studirende Sostische

Landes-Leute.

MS (o) 50




Jena, Diss., 1671 Si-2

ULB Halle

3

005 360 692



Vd 17











B.I.G.

Farbkarte #13

1671, 41<sup>b</sup>  
23

lis Autore annuente,  
ET SUFFRAGIO  
*nis inflorentissima ac no-*  
*slam Academia,*  
IN ANTE

**STRAUCHIO,**  
Salano Consumma-  
niæ Ducum, nec non Celcis-  
LBERTI, DUCIS BRUNSWICENSIS ET  
tissimo, Codicis, Novellarum, itemque  
no, Facultatis Juridicæ Seniore Splendi-  
Saxoniae Judici, nec non Scabinatus  
t. inclutissimi Collegii Juridici  
spectatissimo,  
RECEPTORE suo summè suspiciendo

HANC JURIDICAM  
E

**ARITO.**  
RES RESQUE  
RIAS,  
A. cl. Isc. LXXI.  
e & disquisitioni submittis  
IUSTITIÆ SACRO  
S MENSE  
Westphalus  
O R.

ERTHERIANIS.

